M. NASSAU NOORDEWIER.

METAPHORAE ARISTOPHANEAE.

DELPHIS-BATAVORUM
APUD P. J. KOUMANS.
MDCCCXCI.

METAPHORAE ARISTOPHANEAE.

METAPHORAE ARISTOPHANEAE.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. K. HOFFMANN

PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE DISCIPL. MATH. ET PHYS. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

MICHAEL NASSAU NOORDEWIER,

DORDRACENSIS.

Die XIV M. Martii A. MDCCCXCI hora III.



DELPHIS-BATAVORUM

APUD P. J. KOUMANS.

MDCCCXCI.

Parentibus Optimis Carissimis.

Spatio Academico percurso facere non possum quin vobis praeceptoribus, quos ut haberem mihi contigit, gratias agam quam maximas. Etenim, licet viam quam hucusque sequebar relinquam, me nihilo minus per totam reliquam vitam vestrae institutionis fructus capturum esse mihi persuasum est. Ob humanitatem quoque, vir clarissime CORNELISSEN, qua etiam extra lectiones Academicas me semper prosecutus es, grates tibi ago. Tu autem, promotor honoratissime, clarissime VAN LEEUWEN, persuasum tibi habeto singularem benevolentiam, quam mihi et antea semper et praesertim in hoc libello conscribendo praestitisti, me semper pergrato animo recordaturum esse.

PRAEFATIO.

Ἔστι δὲ φαντασία ἡ ὑπὸ τῆς κατ' ἐνέργειαν αἰσθήσεως γιγνομένη κίνησις.

Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά.

ARISTOTELES.

Cum percipimus aliquid oculis nostris vel auribus aliove sensu, saepe fit ut in ea re, quae mentem nostram ferit, sit aliquid, quod alius rei nos admoneat, ita ut hanc rem subito sensibus animi nostri, ut ita dicam, videre vel audire vel gustare videamur Vis animi nostri, qua hoc facere possumus, vernacule vocatur: *verbeelding*, quae cum vix ulli hominum omnino denegata sit, apud poetas maxime viget.

Eadem vis animi efficit ut omnia, quae poeta videt, pulchro, ut ita dicam, lumine suffusa ei videantur. Quo quis autem maiore huiusmodi vi est praeditus, quo pulchriora omnia quae oculis amplectitur ei esse videntur, quo plures res in eius animo aliarum rerum imagines suscitant, eo aptior illius indoles est poesi. Divino vero

spiritu afflante sponte poeta impellitur ut edat quae sentit ac videt; videt autem non ea solum quae ei ante oculos sunt, sed aliae simul imagines multae surgunt in eius animo. Dum igitur imaginem alicuius rei describit, sociam ei addit alteram, quae in ipsius mente est genita. Haec est origo comparationis, quae vocatur. Artissimis autem vinculis cum comparatione est cognata translatio; nempe si inter duas res similitudo quaedam intercedit, libertas poetica ea, quae ad alteram proprie pertinent, ad alteram transfert. Innumerae vero locutiones, non solum in florida ac sublimi dictione vatum sed etiam in sermone quo omnes utimur quotidiano, atque adeo in linguis gentium incultissimarum, occurrunt, quae hinc repetendae sunt.

Mihi in animo est comparationes ac metaphoras, quae inveniuntur in fabulis Aristophanis, clarissimi Graecorum poetarum comicorum, ordine digerere, tractare, ubi opus fuerit, explicare ac comparare cum fragmentis aliorum poetarum comicorum. Cum vero certas ob causas meam commentationem intra modicos fines coartandam esse intellegerem, non cunctas metaphoras Aristophaneas congerere decrevi, sed eas tetigisse satis habui, quas desumpsit noster ex natura hominum et animalium atque ex vita quotidiana. Nempe in his maxime elucet poetae ingenium: ex his eius indoles optime cognoscitur. Etenim in comoediis suis plerumque personas vulgares loquentes inducit, qui suo nimirum sermone utuntur simplicibus sed saepe iocosis metaphoris florenti. Eas noster arte plane admirabili in fabulis suis reddidit. Nempe non intra parietes sed sub Iove lepidas ac vividas fabulas

suas excogitabat, non lucifugus homo, ex libris sapiens, non eruditulus, sibi sufficiens aliosque naso suspendens adunco, sed intentissima oculorum mentisque acie, qua plurimum valebat, quotidie circumspectans, dum versabatur inter homines omnis aetatis et generis, infinitam copiam imaginum, quas hominum vita multiplex et inquies in florentissima urbe Graeciae ei offerebat, animo combibens atque vi poetica effingens in metaphorarum comparationumque illam abundantiam, qua resplendent eius opera, ac praesertim chororum cantica, in quibus poeta non iam dialogi vinculis adstrictus libere habenas ingenio remittere poterat. Interdum videlicet, ubi tragoediae vel oraculorum sublimem stylum in ridiculum detorquet, poeta metaphoras huic stylo proprias lepide imitatur ac deridet.

METAPHORAE PETITAE EX ANIMALIUM GENERIBUS.

ANIMALIA TERRESTRIA.

CANES AC VULPES.

Canis, amicus generis humani atque sodalis, qui venator dominis nutrimenta quaerit, domos custodit, timori est furibus ac latronibus, errantibus viam monstrat domumque reducit, pueros in aquam lapsos recipit, illud animal generosum, de toto genere humano tam bene meritum iniuriis saepe afficit homo ingratus et summo cum contemptu inimicum appellat: canem.

Iam apud Homerum legimus:

κύων ἀναιδής, κύων ἀδεής cet.

Sic in fabula Equitum Paphlago, cum botularius gloriatur se offas, quibus manus absterguntur, pro cibo habuisse, multo cum contemptu vociferatur:

ἀπομαγδαλιὰς ὥσπερ κύων;

cf. Pherecratis lepidum fragmentum 23, in quo dei homines ita increpant:

ὅτε τοῖσι θεοῖς θύετε, πρώτιστ' ἀποκρίνετε τοῖς ἱερεῦσιν
τὸ νομιζόμενον πρώτοις ὑμῶν, εἶτ' (αἰσχύνη τὸ κατειπεῖν)
*οὐ τὼ μηρὼ περιλάψαντες μέχρι βουβώνων ****
καὶ τὴν ὀσφὺν κομιδῇ ψιλήν, λοιπὸν τὸν σπόνδυλον αὐτὸν
ὥσπερ ῥινήσαντες νέμεθ' (?) ὥσπερ καὶ τοῖς κυσὶν ἡμῖν;
εἶτ' ἀλλήλους αἰσχυνόμενοι θυλήμασι κρύπτετε πολλοῖς ([1]).

Nub. vs. 489 Socrates doctissimus philosophorum seni discipulo suo satis stolido dicit:

ἄγε νυν ὅπως, ὅταν τι προβάλωμαι σοφὸν
περὶ τῶν μετεώρων, εὐθέως ὑφαρπάσει.

alter indignabundus rogat:

τί δαί; κυνηδὸν τὴν σοφίαν σιτήσομαι;

Satis lepide haec verba aliquantulum laesum agricolam designant. Is, qui homines plebeios aliquantulum novit, non ignorare potest eos interdum sicut Strepsiades hic verbum aliquod valde indignari quod sine ulla malitia est dictum

Cum in fabula Pacis choreutae, Trygaeo auctore deam Pacem ex antro, in quod Polemos eam deiecit, extrahere conantur, initio opus parum succedit, sunt enim, qui obstant, alii autem, qui nihil faciunt,

οὐδ' οἱ Μεγαρῆς δρῶσ' οὐδέν.

---

[1]) De textu misere mutilati huius fragmenti ac aliorum comicorum fragmentorum, quae laudabo, vide: Kock, fragmenta comicorum atticorum.

Hermes vs. 481 dicit.

ἕλκουσιν δ' ὅμως,

γλισχρότατα σαρκάζοντες ὥσπερ κυνίδια,

respondet Trygaeus.

ὑπὸ τοῦ γε λιμοῦ νὴ Δί' ἐξολωλότες (¹) alter tum dicit.

„Neque Megarenses quicquam agunt."

„Attamen avidissime trahunt, ringentes tamquam catuli."

„Propter famem scilicet, qua dispereunt miselli!"

Idem deus explicans cur Pax ex Graecia aufugerit, inter alia hoc quoque autumat vs. 639:

„Ii, qui verba fecerunt in foro, clamoribus suis hanc deam expulerunt,

τῶν δὲ συμμάχων ἔσειον τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους,

αἰτίας ἂν προστιθέντες ὡς φρονεῖ τὰ Βρασίδου.

εἶτ' ἂν ὑμεῖς τοῦτον ὥσπερ κυνίδι' ἐσπαράττετε.

Lys. vs. 298 senes clamant, fumo a mulieribus, quae arcem occupaverunt, repulsi:

Ὥσπερ κύων λυττῶσα τὠφθαλμὼ δάκνει.

Σώζεσθαί σ' ἐκέλευσ' ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα (Loxias scil.) Cleon Eq. vs. 1017 Demo dicit, ubi oraculis ridiculis cum botulario certat, se ipsum comparans cum cane vigili, praesidio domini. Botularius contra: „Dicam tibi qualis sit canis:

ὥσπερ ἀθάρης (²) σου τῶν λογίων παρεσθίει.

---

¹) Sic distinxi locum, qui perperam Mercurio continuari solet totus. Particula γε docet vs. 483 responsum dari ad observationem quae praecedit pertinens.

(²) Cod. θύρας sine sensu. Emendavit Hermannus.

„ego verius habeo oraculum:

φράζευ, Ἐρεχθείδη, κύνα Κέρβερον ἀνδραποδιστήν,
ὅς κέρκῳ σαίνων σ', ὁπόταν δειπνῇς, ἐπιτηρῶν
ἐξέδεταί σοι τοὔψον, ὅταν σύ που ἄλλοσε χάσκῃς,
ἐσφοιτῶν τ' ἐς τοὐπτάνιον λήσει σε κυνηδὸν
νύκτωρ τὰς λοπάδας καὶ τὰς νήσους διαλείχων.

„Canis est videlicet iste, sed qualis? Praesentem te cauda adulatur, absenti vero cibos tibi surripit et in culina noctu patinas delambit."

Compara litem festivissimam in fabula Vesparum, ubi furax canicula — id est Laches, vir praetorius — repetundarum insimulatur ab altero cane, — a Cleone nimirum —; accusator autem vs. 904 dicitur:

ἀγαθός γ' ὑλακτεῖν (¹) *καὶ διαλείχειν τὰς χύτρας.*

Nempe nihilo continentior erat ipse quam reus, certe si comico credendum est.

Neminem praeterea fugit, credo, quam lepide poeta abusum comparationum ex animalium vita desumptarum, qui dictioni oraculorum proprius est, in ridiculum detorserit; cf. Pac. vs. 1065 sq. Antiquitus nimirum veri poetae ac vates cum undique ex rerum natura pulchras comparationes instituendi captarent occasiones, ex animalium quoque variis generibus eas ducere solebant, at posteri dum pravo studio eos imitabantur absurdum fiebat genus loquendi.

(¹) Cf. Eupolidis fr. 207:

(Rhetor) *Συρακόσιος δ' ἔοικεν, ἡνίκ' ἂν λέγῃ,*
τοῖς κυνιδίοισι τοῖσιν ἐπὶ τῶν τειχίων.
ἀναβὰς γὰρ ἐπὶ τὸ βῆμ' ὑλακτεῖ περιτρέχων.

In sequentibus versibus haec ludicra imitatio continuatur. vs. 1067 botularius profert oraculum hoc:

Αἰγείδη φράσσαι κυναλώπεκα, μή σε δολώσῃ
λαίθαργον, ταχύπουν, δολίαν κερδῶ, πολύιδριν.
οἶσθ' ὅ τι ἔστιν τοῦτο; Dem. *Φιλόστρατος ἡ κυναλώπηξ.*
Bot. *οὐ τοῦτό φησιν, ἀλλὰ ναῦς ἑκάστοτε*
αἰτεῖ ταχείας ἀργυρολόγους οὑτοσί·
ταύτας ἀπαυδᾷ μὴ διδόναι σ' ὁ Λοξίας.

Cleon nimirum iterum traducitur voce *κυναλώπηξ*, quae tragicorum more formata est, sicut Aeschylus utitur vocabulo *ἱππαλεκτρύων*. Vilis est Cleon ut canis, at idem astutus ut vulpes. Sed id quod Demus deinde rogat, minime cum praecedentibus verbis congruit: *πῶς δὴ τριήρης ἐστὶ κυναλώπηξ;* Nisi aliud quid latet, senex postremos duos versus non audivisse videtur, sed solum verba: *ἀλλὰ ναῦς ἑκάστοτε.*

Botularius autem, qui homini grandaevo blanditur, errorem eius corrigere non vult, cum praesertim intellegat spectatores certe vaticinii sententiam et sua dicta probe perspexisse. Respondet igitur: *ὅπως;* deinde paululum subsistens sic pergit, longius longiusque a vera sententia aberrans et insulsissimam explicationem, quae nec caput nec pedem habet, consulto inde effingens:

ὅτι ἡ τριήρης τ' ἐστὶ χὼ κύων ταχύ.
Dem. *πῶς οὖν ἀλώπηξ προσετέθη πρὸς τῷ κυνί;*
Bot. *ἀλωπεκίοισι τοὺς στρατιώτας ᾔκασεν,*
ὁτιὴ βότρυς τρώγουσιν ἐν τοῖς χωρίοις.

Talibus scilicet nugis ductatur silicernium mente captum.

Vesp. vs. 1241 senex adulatori Theoro, quem novimus ex initio huius fabulae, dicit:

οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν
οὐδ' ἀμφοτέροισι γίγνεσθαι φίλον.

Alibi quoque dolosa vulpecula saepe commemoratur, vid. Pac. vs. 1190 ac Av. vs. 435, ubi choro avium roganti: ἔνι σοφόν τι φρενί; (Pithetaeri scil.) Epops respondet.

πυκνότατον κίναδος,
σόφισμα, κύρμα, τρίμμα, παιπάλημ' ὅλον.

Cf. Nub. vs. 447 ac Lys. vs. 1270, ubi Lacones precantur:

τᾶν αἱμυλᾶν ἀλωπέκων παυσαίμεθα.
ὦ δεῦρ' ἴθι δεῦρ', ὦ κυναγὲ παρσένε.

Cum vero saepius oris et corporis Cleonis lineamenta stylo comico duxisset Aristophanes et vultum hominis quam maxime sibi invisi varie adumbrasset, unam eamque vividissimam imaginem ex his omnibus confecit, qua ornata est parabasis fabulae Pacis.

Omnia quae erant sive in ipso homine sive in opificio sive in eius ratione rei publicae capessendae, omnia quae eum poetae nostro infestissimum reddiderunt, hic sunt collecta ac luridis coloribus depicta. Fingit eum portentum detestabile, foedum aliquem Cerberum vel Typhoeum. Audiamus ipsum coryphaeum, quo teste comicus

Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βορβοροθύμους,

θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι, οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον, ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας, φώκης ὀσμήν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου. τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ', ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων ἀντεῖχεν ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων. (¹)

cf. Eq. vs. 137, 1018 sq. Ach. vs. 381.

MUSTELAE.

(QUIBUS ANTIQUI UTEBANTUR SICUT NOS FELIBUS.)

Ach. vs 254. Dicaeopolidis uxor strenuam filiam rustice laudans, dicit:

ὡς μακάριος
ὅστις σ' ὀπύσει, κἀκποιήσεται γαλᾶς
σοῦ μηδὲν ἧττους βδεῖν, ἐπειδὰν ὄρθρος ᾖ.

Plut. vs. 692 anus in templo a servo morsa

κατέκειτο δ' αὑτὴν ἐντυλίξασ' ἡσυχῇ,
ὑπὸ τοῦ δέους βδέουσα δριμύτερον γαλῆς.

Dum puella atque anus eundem simul amatorem exspectant, illa Eccles. vs. 924 gloriatur:

ᾆδ' ὁπόσα βούλει καὶ παράκυφθ' ὥσπερ γαλῆ,
οὐδεὶς γὰρ ὡς σὲ πρότερον εἴσεισ' ἀντ' ἐμοῦ.

(¹) Hos versus poeta postea Vesparum parabasi inseruit, cum haec fabula iterum ageretur.

Veteribus collegis senem pristinae virtutis admonentibus, hic respondet Vesp. 363: Nullo modo effugere possum, nam viri armati

ὥσπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν
τηροῦσιν ἔχοντ' ὀβελίσκους.

MURES.

Lepidum verbum occurrit Vesp. vs. 140: senex, qui domo aufugere conatur, *μυσπολεῖ τι καταδεδυκώς*, trepidat huc illuc sicut mus, qui inimico instante ubicumque rimam quaerit.

Ach. vs. 762. Infelix Megarensis bello omni fere cibo atque adeo nativo suo allio privatus, Dicaeopolidi roganti num allia habeat, respondet:

ποῖα σκόροδ'; ὑμὲς τῶν ἀεὶ,
ὄκκ' ἐσβάλητε, τῶς ἀρουραῖοι μύες,
πάσσακι τὰς ἄγλιθας ἐξορύσσετε,

murium igitur agminibus assimulans copias Atheniensium agros vicinos vastantium.

EQUI.

Festivissime poeta in initio fabulae Pacis Euripidis fabulam Bellerophontem in ridiculum deflectit.

Iam statim exordium quam ludicrum. Ii duo servi scarabaeo voraci merdam pinsentes; deinde Trygaeus, alter Bellerophon, per aethera in coelum iter faciens, sed aliger

equus mutatus est in scarabaeum male olentem immanis magnitudinis, pro heroe autem splendide armato videmus simplicem rusticum.

Magnifica verba audacis equitis in risum iocumque detorquentur, cum non iam alacer equus sed illud taetrum monstrum excitetur.

Audiamus verba ipsius poetae, nimirum ea, quibus scarabaeus comparatur cum Pegaso, nam haec sola ad nos attinent.

Alter servorum, qui in scena sunt, spectatoribus narrat herum suum, cum de patriae suae totiusque Graeciae conditione desperaret, variis modis conatum esse in coelum ad Iovem pervenire; at parum ei hactenus successisse rem,

ἐχθὲς δὲ μετὰ ταῦτ' ἐκφθαρεὶς οὐκ οἶδ' ὅποι
εἰσήγαγ' Αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον,
κἄπειτα τοῦτον ἱπποκομεῖν μ' ἠνάγκασεν,
καὐτὸς καταψῶν αὐτὸν ὥσπερ πωλίον,
„ὦ Πηγάσειον," φησί, „γενναῖον πτερὸν
ὅπως πετήσει μ' εὐθὺ τοῦ Διὸς λαβών."
ἀλλ' ὅ τι ποιεῖ τηδὶ διακύψας ὄψομαι.

Iamque per rimam ostii introspicit servus quid tandem intus faciat dominus vesanus. „Eheu" exclamat,

οἴμοι τάλας· ἴτε δεῦρο δεῦρ', ὦ γείτονες·
ὁ δεσπότης γάρ μου μετέωρος αἴρεται
ἱππηδὸν ἐς τὸν ἀέρ' ἐπὶ τοῦ κανθάρου.

Trygaeus sublimis fertur, dum scitissimis verbis animal, quod ei pro equo est, cohortatur atque incitat. Vs. 126 autem filiae perterritae, quae verbis Euripideis eum inter-

rogat quo vehiculo iter sit perfecturus, respondet:

πτηνὸς πορεύσει πῶλος· οὐ ναυσθλώσομαι.

Fil. „Pegaso igitur utere”.

Tr. *ἀλλ' ὦ μέλ' ἄν μοι σιτίων διπλῶν ἔδει.*
νῦν δ' ἅττ' ἂν αὐτὸς καταφάγω τὰ σιτία,
τούτοισι τοῖς αὐτοῖσι τοῦτον χορτάσω.

Filia metu liberata. Trygaeus iter pergit, cantharum denuo versiculis tragicis stimulans:

Vs. 154: *ἀλλ' ἄγε, Πήγασε, χώρει χαίρων,*
χρυσοχαλίνων πάταγον ψαλίων
διακινήσας φαιδροῖς ὠσίν. cet.

Cum in coelum perventum est, a Mercurio qui ostiarii vice fungitur interrogatur: *τουτὶ τί ἐστι τὸ κακόν;* cui graviter respondet Trygaeus: *ἱπποκάνθαρος.* Hoc verbo novus Pegasus exauctoratur, sub Iovis solio posthac, si credere fas est, fulmina ministraturus (vs. 723).

Nobis autem in hac commentatione de equo non multa addenda supersunt; duae sufficiunt observatiunculae.

Ran. vs. 929. Euripides verba Aeschyli vocat: *ἱππόκρημνα*, quod mirificum adiectivum optime reddi videtur nostro: „hoogdravend”.

Av. vs. 925. mendicus poeta cantat:
ἀλλά τις ὠκεῖα Μουσάων φάτις (conditae urbis scil.)
οἷάπερ ἵππων ἀμαρυγὰ totam terram pervagatur.

Apte cum his verbis comparari possunt versus quos Lacones cantant Lys. vs. 1307:

ᾇ δὲ πῶλοι ταὶ κόραι
πὰρ τὸν Εὐρώταν
ἀμπάλλοντι πυκνὰ ποδοῖν
ἀγκονίωαι.

Cf. Autocratis fr. 1.

ASINI.

In lepido episodio, quo poeta festive Homeri Cyclopeam imitatur, senex, alter *οὖτις*, sub ventre asini latitans e domo effugere studet, at filius eum conspiciens exclamat Vesp. vs. 188:

ὥστ' ἔμοι γ' ἰνδάλλεται
ὁμοιότατος κλητῆρος εἶναι πωλίῳ.

poeta festive ludit vocabulo *κλητήρ*, quod cum asellum tum testem significat.

Vs. 1306 servus narrat herum suum sui dissimillimum derepente esse factum; nam cum hactenus tristibus et severis esset moribus homo truculentus et morosus a iocis alienissimus, nunc inter pocula

ἐνήλλετ' ἐσκίρτα 'πεπόρδει κατεγέλα
ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον ηὐωχημένον.

Quae comparatio sine dubio magnos cachinnos spectatorum movit, cum iis in mente haereret splendida illa Homeri imago:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος cet. (Il. VI. 506).

Callide poeta, cum non heroem sed senem rusticum

describeret, equo feroci substituit asellum lascivientem. Eadem autem comparatione etiam convivas usos esse ad senem vino madidum deridendum ex sequentibus servi verbis apparet:

εἶτ' αὐτὸν ὡς εἶδ', ᾔκασεν Λυσίστρατος·
„ἔοικας, ὦ πρεσβῦτα, νεοπλούτῳ τρυγὶ
κλητῆρί τ' εἰς ἀχυρμὸν ἀποδεδρακότι,"

asello qui in palearum acervum aufugit.

Ran. vs. 158. Dionyso roganti: οὗτοι δὲ δὴ τίνες εἰσίν; Hercules respondet: οἱ μεμυημένοι. Tum servus Xanthias impedimentis oneratus queritur:

νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγων μυστήρια.

Mehercle, ego certe asellus esse mihi videor, cui mystarum supellex est imposita.

OVES, AGNI, ARIES.

Lys. vs. 84. mulier Laconica, cuius firma membra ceterae, quas Lysistrata congregavit, mulieres mirabundae palpantur, vociferatur:

ᾇπερ ἱερεῖόν τοί μ' ὑποψαλάσσετε,

quasi hostiam me manibus contrectatis.

Plut. vs. 922 vir iustus sycophantam aliquem rogat:

ἐκεῖνο δ' οὐ βούλοι' ἄν, ἡσυχίαν ἔχων
ζῆν ἀργός;

cui indignabundus ille respondet:

ἀλλὰ προβατίου βίον λέγεις,
εἰ μὴ φανεῖται διατριβή τις τῷ βίῳ.

Nos: *als een redeloos dier.*
Nempe, ut est apud Cratinum:

ὁ ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον „βῆ βῆ" λέγων βαδίζει. (fr. 43.)

Vesp. vs. 572. Senex, qui legem iudiciariam defendit et heliastarum vitam beatam summis laudibus extollit, inducit reum aliquem post flebilem perorationem parvulos suos liberos in suggestum ascendere iubentem et iudices veluti deos ita precantem:

τῆς εὐθύνης μ' ἀπολῦσον,
εἰ μὲν χαίρεις ἀρνὸς φωνῇ, παιδὸς φωνὴν ἐλεήσας (¹)·
εἰ δ' αὖ τοῖς χοιριδίοις χαίρω, θυγατρὸς φωνῇ με πιθέσθαι.

Pac. vs. 935 chorus dicit: Ovis nobis est mactanda,

ὥστ' ἐσόμεθ' ἀλλήλοισιν ἀμνοὶ τοὺς τρόπους.

Cf. Hermippi fr. 3:

τὴν μὲν διάλεκτον καὶ τὸ πρόσωπον ἀμνίου
ἔχειν δοκεῖς, τὰ δ' ἔνδον οὐδὲν διαφέρεις
δράκοντος.

Lys. vs. 309 alius alium senem excitat:

ἐς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσωμεν.

Sic *aries, stormram*, vocatur machina bellica et *rameien, arietare*, dicuntur qui eam portae admovent, omnesque

---

¹) Sic pro ἐλεήσαις scripsi et in praecedenti versu supplevi μ'. Alii aliter vulgatam manifesto corruptam emendare studuerunt.

qui impetu violento incursantes aditum interclusum perfringere conantur.

Initio fabulae Vesparum veluti lanx quaedam satura comparationum ex animalium vita petitarum nobis offertur. Inde a primis verbis fabulae poeta deridendum nobis propinat hominem, quem omnium mortalium pessime oderat nec umquam missum facere potuit aut voluit, Cleonem dico. Iocorum aculeatorum materiem ei praebuisse videtur Homeri de Protei gregibus narratio. (Odyss. IV. vs. 442.)

Mirificum insomnium suum servus collegae hisce verbis narrat:

ἔδοξέ μοι περὶ πρῶτον ὕπνον ἐν τῇ πυκνὶ
ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα,
βακτηρίας ἔχοντα καὶ τριβώνια·
κἄπειτα τούτοις τοῖς προβάτοισι μοὐδόκει
δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια,
ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρημένης ὑός.

Unusquisque intellegit poetam, sicut saepe, hic quoque alludere ad taetrum corii odorem, quo Cleonis officinae oppletae erant, quem ipsius quoque vestimentis nonnumquam inhaesisse credibile est, est enim tenacissimus. Simul ridetur forma et habitus viri, qui verum et rectum magis quam vitae cultioris veneres et lenocinia curasse et urbis suae quam urbanitatis amantior fuisse videtur; ridetur vox eius fortis et facundia impetuosa, quae spretis elegantiis torrentis instar rapido cursu ferebatur.

παῦε παῦε, μὴ λέγε.
ὄζει κάκιστον τοὐνύπνιον βύρσης σαπρᾶς.

alter respondet.

Ut imaginem foediorem etiam redderet, poeta usus est dictione ludicra et subabsurda φάλαινα πανδοκεύτρια: *een vischwijf van een walvisch.* Cum verbis φωνὴν ἐμπεπρημένης ὑός compara nostra: *hij schreeuwt als een mager varken, als een varken dat gekeeld wordt.*

APER.

In paeane, quem Lacones cantant Lys. vs. 1254, legimus haec:

> ἁμὲ δ' αὖ Λεωνίδας
> ἆγεν ᾇπερ τὼς κάπρως
> θάγοντας, οἰῶ, τὸν ὀδόντα.

Cf. lepidissimum chori canticum in fabula Ranarum, in quo summo artificio Aeschyli sublimem ac dithyrambicum stylum, Euripidis autem subtilem ac elegantem dictionem imitatur ac invicem comparat noster.

Vs. 814 de Aeschylo dicitur:

> ἦ που δεινὸν ἐριβρεμέτας χόλον ἔνδοθεν ἕξει,
> ἡνίκ' ἂν ὀξυλάλου παρίδῃ θήγοντος ὀδόντα
> ἀντιτέχνου. cet.

Terribilem, credo, in praecordiis iram vehementer fremens fovebit, cum adversarium viderit loquaçem dentem exacuentem.

HYSTRIX.

In parabasi Pacis poeta, quo suum ipsius ingenium commendet spectatoribus, narrat quam inflato artificioso

insulso loquendi genere aliquando usi fuerint alii comici. Servum clamitantem inducebant in scenam,

ἵν' ὁ σύνδουλος σκώψας αὐτοῦ τὰς πληγὰς εἶτ' ἀνέροιτο
„ὦ κακόδαιμον, τί τὸ δέρμ' ἔπαθες; μῶν ὑστριχὶς εἰσέβαλέν σοι
ἐς τὰς πλευρὰς πολλῇ στρατιᾷ κἀδενδροτόμησε τὸ νῶτον;"

Frigidi ioci ansam praebuit vocabulum ambiguum *ὑστριχίς*, quod et flagellum significat et animal aculeis undique horrens, quod novimus omnes. Iure autem noster deridet dictionem obscuram et ampullatam, qua ex scutica fit animal muribus infestum, hoc autem derepente mutatur in hostem bellicosum, qui multis copiis miselli servuli tergum invadere et cuncta ibi urere atque secare dicitur. Tumide haec dicta, absurde, parum eleganter; quamquam ne ipsum quidem Aristophanem ab huiusmodi facetiis inficetis abstinuisse facili negotio demonstrari potest. Sed non nostri id est argumenti.

SIMIAE.

Estne aliud animal in toto orbe terrarum tam aptum, ne dicam dignum, quod comparetur cum homine? Immo vero interdum appellatur homo (*orang oetang*). Omni tempore haec similitudo displicuit mortalibus, qui haud libenter illius partis naturae suae, quae est bestiaria, admonentur. Si simiam quis appellat hominem, strenue ei male dicit.

Videamus qua ratione noster utatur simia ad ridendum, quos rideri vult.

Cum in fabula Acharnensium Boeotus mercator pro mercibus suis invicem aliquid rogat, quod Athenis quidem sit, in Boeotia autem non sit, vs. 904 Dicaeopolidi felix in mentem venit inventum:

ἐγῷδα τοίνυν· συκοφάντην ἔξαγε
ὥσπερ κέραμον ἐνδησάμενος.

Boeotus eius consilium his verbis approbat:

νεὶ τὼ θιώ,
λάβοιμι μεντἂν κέρδος ἀγαγὼν καὶ πολύ,
ᾇπερ πίθακον ἀλιτρίας πολλᾶς πλέων.

Ita me di ament, multum lucrum faciam, si hoc taetrum animal hominibus ostenderim. cf. Ach. vs. 120. Archil. fr. 89.

Eq. vs. 887 frustratus Paphlago, cum botularius callidis blandimentis morosi domini favorem captat, queritur:

οἴμοι τάλας, οἵοις πιθηκισμοῖς με περιελαύνεις.

„Simiae artificiis me circumvenis." Pro *περιελαύνεις* legere malim *περιελαύνει.* Verbi persona sic mutata se ipsum alloquitur, si adversarium enim allocutus esset, non incepisset, credo, verbis *οἴμοι τάλας* sed potius convicio aliquo.

Μ*ιαρὸς ἀλώπηξ οἷον ἐπιθήκιζέ μοι.*

his verbis Thesm. vs. 1131 Scytha Euripidi, qui socerum liberare studet, conviciatur.

Cum in fabula Pacis vates Hierocles in scenam prodit, statim nimirum nobis suas comparationes ex animalium

vita petitas obtrudit. Vs. 1063 eos, qui pacem facere conantur, hisce tumidis verbis alloquitur:

ὦ μέλεοι θνητοὶ καὶ νήπιοι.

ἐς κεφαλήν σοι Trygaeus conviciatur.

Alter autem, tamquam nihil audiverit, pergit:

οἵτινες ἀφραδίῃσι θεῶν νόον οὐκ ἀΐοντες
συνθήκας πεποίησθ' ἄνδρες χαροποῖσι πιθήκοις.

αἰβοιβοῖ Trygaeus tum non potest quin exclamet.

τί γελᾷς; Hierocles rogat. Tr. *ἥσθην χαροποῖσι πιθήκοις.*

Hie. *καὶ κέπφοι τρήρωνες ἀλωπεκιδεῦσι πέπεισθε,*
ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες.

Eccles. vs. 1072 iuvenis, quem anus taeterrima arripit ut eum secundum legem nuper a mulieribus latam cogat secum concumbere, terrore exanimatus exclamat:

πότερον πίθηκος ἀνάπλεως ψιμυθίου
ἢ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν πλειόνων;

Utrum cerussae plena simia, an anus ex Orco huc reversa?

LEONES.

Postquam chorus sin fabula Ranarum Euripidem cum apro comparavit, eius ferocem adversarium vs. 821 confert cum horrendo leone, qui comas hirsutas erigens supercilium contrahens ira fervidus minaciter rugit.

φρίξας δ' αὐτοκόμου λοφιᾶς λασιαύχενα χαίτην,
δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει
ῥήματα γομφοπαγῆ πινακηδὸν ἀποσπῶν
γηγενεῖ φυσήματι. (1)

Rugiens emittet verba compaginata, quae tamquam tabulata navis, quam procella diffringit, giganteo spiritu e pectore evellit.

Vs. 1431 Aeschylus ipse alium, Alcibiadem dico, cum leone comparat; cum enim Dionysus eum rogat quae sit eius sententia de hoc viro, qui magnum quidem ingenium habeat, sed idem rei publicae periculosum, respondet:

μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν,
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Cum Mnesilochus in fabula Thesmophoriazusarum muliebri habitu indutus clam in coetum mulierum irrepsit, ac in oratione, qua generum Euripidem defendit, omnia harum vitia enumerat, hoc quoque habet, quod iis exprobret: (vs. 502)

„Sunt feminae mehercle, quae coniugi dicentes se parturire, infantem emunt, quod in olla occultant, ore favo obturato. Cum autem iis tempus opportunum videtur, infantem promunt,

εἶθ' ἡ μιαρὰ γραῦς, ἢ 'φερεν τὸ παιδίον,
θεῖ μειδιῶσα πρὸς τὸν ἄνδρα καὶ λέγει:
„λέων λέων σοι γέγονεν, αὐτέκμαγμα σόν."

---

(1) Hic leonem non aprum designari indicant voces: *χαίτην, ἐπισκύνιον, βρυχώμενος*, quae solum recte se habent, si de leone dicuntur.
Cf. Hom. Il. XVII, 137:

ὥς τίς τε λέων σθένεϊ βλεμεαίνει,
πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων.

Nos dicimus: *een beer van een jongen.*

In episodio iam supra a me commemorato in fabula Equitum, in quo comicus stylum oraculis proprium ridicule imitatur, Cleon vs. 1037 se ipsum designans profatur:

ἔστι γυνή, τέξει δὲ λέονθ' ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις,
ὃς περὶ τοῦ δήμου πολλοῖς κώνωψι μαχεῖται.

qui pro populo contra multos culices pugnabit.

AVES.

Quoniam haec animalia poetae materiem praebuerunt totius fabulae faciendae, est aequum comparationes ex avium vita petitas, quae in hac fabula, Avium dico, occurrunt, primas a nobis tractari.

Vs. 165 Pithetaerus regi epopi suadet:

μὴ περιπέτεσθε πανταχῇ κεχηνότες·
ὡς τοῦτ' ἄτιμον τοὔργον ἐστίν· αὐτίκα
ἐκεῖ παρ' ἡμῖν τοὺς πετομένους ἢν ἔρῃ·
„τίς ὄρνις οὗτος;" ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί·
„ἄνθρωπος ὄρνις ἀστάθμητος πετόμενος
ἀτέκμαρτος, οὐδὲν οὐδέποτ' ἐν ταὐτῷ μένων."

Vs. 167 et 168 misere sunt corrupti. Coniicere autem licet Teleam illum non esse derisorem sed ipsum derideri, ita ut versus sequentes ad eum sint referendi:

„Homo volucer instabilis huc illuc volitans inconsideratus, numquam in eodem permanens."

Compara Pluti vs. 574, ubi Penia dicit:

φλυαρεῖς καὶ πτερυγίζεις.

Nugas agis, alis quidem vehementer strepis sed nihil efficis.

Cum post pulcherrimam epopis monodiam, qua cives suos convocat, unus ac alter avis advolat, poeta occasionem amplectitur ut aliquot homines sibi invisos paulisper pungat.

Vs. 280 alter epops in scenam prodit sed hic plumis spoliatus, quo viso Pithetaerus rogat:

τί τὸ τέρας τουτί ποτ' ἐστίν; οὐ σὺ μόνος ἄρ' ἦσθ' ἔποψ,
ἀλλὰ χοὖτος ἕτερος;

cui Epops respondet: *ἀλλ' οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους*
ἐξ ἔποπος, ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥσπερ εἰ λέγοις
Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Pith. *Καλλίας ἄρ' οὗτος οὕρνις ἐστίν· ὡς πτερορρυεῖ.*

Ep. *ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται,*
αἵ τε θήλειαι πρόσεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

Multa viri docti disputaverunt de altero illo epope. Quaestio mihi videtur non adeo ad unguem esse resecanda. Epops Philoclis nimirum est epops, qui occurrit in huius poetae fabula Pandionide, „huius epopis filius", inquit, „est hicce, ego autem antiquissimus sum epops (nos diceremus: *de oerhop*) huiusce ergo sum avus." Merus est jocus, nihil aliud.

Occasio nunc pulchrior est quam ut poeta neglegeret etiam Cleonymum salutare, veterem amicum. Cum enim vs. 287 avis alia apparet, Pithetaerus exclamat:

ὦ Πόσειδον, ἕτερος αὖ τις βαπτὸς ὄρνις οὑτοσί.
τίς ὀνομάζεταί ποθ' οὗτος; Ep. *οὑτοσὶ κατωφαγᾶς.*

Pith. *ἔστι γὰρ κατωφαγᾶς τις ἄλλος ἢ Κλεώνυμος;*

Tum Euelpides iocatur:

πῶς ἂν οὖν Κλεώνυμός γ' ὢν οὐκ ἀπέβαλε τὸν λόφον;

Non sine gaudio nunc leges vs. 801 sq. Dum chorus cantabat, duo homines quam optime potuerunt in aves sunt mutati. Alter alteri dicit cui avi sit similis. Primus Pithetaerus ridens dicit:

ταυτὶ τοιαυτί· μὰ Δί' ἐγὼ μὲν πρᾶγμά πω
γελοιότερον οὐκ εἶδον οὐδεπώποτε.
Eu. *ἐπὶ τῷ γελᾷς;* Pith. *ἐπὶ τοῖσι σοῖς ὠκυπτέροις.*
οἶσθ' ᾧ μάλιστ' ἔοικας ἐπτερωμένος;
εἰς εὐτέλειαν χηνὶ συγγεγραμμένῳ.
Eu. *σὺ δὲ κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλμένῳ.*

Pith. Scisne cui avi maxime similis sis? Anseri, quem puer rudi arte in pariete adumbravit.

At tu merulae calvae, respondet alter.

σκάφιον genus erat comas gerendi. Nos dicere possemus: *En jij lijkt wel een merel met een kale knikker.*

Av. vs. 1290 homines aliquot, qui cognominibus ex avium generibus desumptis erant ornati, poetae ansam praebuerunt ad ornandum episodium fabulae suae. Sublimi urbe Nephelococcygia condita, terrae incola quidam avibus nuntiat omnes homines amore ingenti erga aves incensos esse. Quippe

ὠρνιθομάνουν δ' οὕτω περιφανῶς ὥστε καὶ
πολλοῖσιν ὀρνίθων ὀνόματ' ἦν κείμενα,
πέρδιξ μὲν εἷς κάπηλος ὠνομάζετο
χωλός, Μενίππῳ δ' ἦν χελιδὼν τοὔνομα,
'Οπουντίῳ δ' ὀφθαλμὸν οὐκ ἔχων κόραξ,
κορυδὸς Φιλοκλέει, χηναλώπηξ Θεογένει,

ἶβις Λυκούργῳ, Χαιρεφῶντι νυκτερὶς,
Συρακοσίῳ δὲ κίττα· Μειδίας δ' ἐκεῖ
ὄρτυξ ἐκαλεῖτο· καὶ γὰρ ᾔκειν ὄρτυγι
ὑπὸ στυφοκόπου τὴν κεφαλὴν πεπληγμένῳ.

Alii alia de hisce hominibus perhibent. Quae scholiasta annotat partim utilia partim inepta sunt.

Narrabo, quae mihi verisimillima esse videntur. Caupo igitur quidam propter ingressum *πέρδιξ* vocabatur. Menippus hirundo appellabatur ad barbarum eius modum loquendi deridendum. (Vide vs. 1681 ubi Poseidon de Triballorum inculto deo dicit:

μὰ τὸν Δί' οὐχ οὗτός γε παραδοῦναι λέγει,
εἰ μὴ βατίζει γ' ὥσπερ αἱ χελιδόνες.)

Opuntius sycophanta altero oculo privatus propter rapacitatem suam vocabatur luscus corvus. Philocles autem tragicus erat poeta, sed cur alauda (vel qualiscunque avis *κορυδός* fuerit) a comico vocetur ignoramus. Avis illa male cantasse videtur, quod efficias ex proverbio: *ἐν ἀμούσοις καὶ κορυδὸς φθέγγεται.* Ut eius tragoedias perstringat igitur, noster hoc cognomine Philoclem donat. Etenim credo Aristophanem nonnulla horum cognominum ex suo ingenio expromsisse, alia autem in ore vulgi fuisse. Propter clamorem suum rabula Theagenes anser dicitur. Lycurgus autem ob magnificas Aegyptiacas vestes ibis vocatur, ac Socratis discipulus Chaerephon propter oris pallorem vespertilio. (cf. Av. vs. 1564.)

Loquax Syracosius picam prope aequiparat, Midias vero ille, qui coturnices ludendi causa alit, ipse quidem coturnici similis est, cuius caput *ὑπ' ὀρτυγοκόπου* sit

ictum. Sine dubio huius hominis stupida facies his verbis traducitur.

Cum comparationes ex avium vita petitas, quae occurrunt in fabula Avium, tractaverimus iam omnes, transire possumus ad metaphoras ex avium vita petitas in aliis poetae fabulis. Quarum pleraeque cum sint petitae ex vita gallorum, hos primos adibimus.

GALLI AC GALLINAE.

Ex certaminibus, quae Athenienses, sicut nunc adhuc complures gentes solent, instituebant inter gallos vel coturnices, desumpta est metaphora, quae occurrit Eq. vs 495.

Chorus equitum botularium Cleonem in senatu aggressurum ita instigat:

μέμνησό νυν
δάκνειν, διαβάλλειν, τοὺς λόφους κατεσθίειν,
χὤπως τὰ κάλλαι' ἀποφαγὼν ἥξεις πάλιν.

Memento iam ut mordeas, prosternas, cristas rodas, palearibus devoratis huc redeas.

Vs. 1339 Demo, qui ex debili sene rursus in strenuum iuvenem mutatus est, dicitur: antea si, quis tibi pulchris aliquibus verbis adularetur, *ἀνωρτάλιζες*, superbiebas tamquam pullus gallus, qui volare conans alis strepit Verbum, quod poeta deinde addit: *κἀκερουτίας*, quod in usu est de cervis, qui cornua sua superbe gerunt, hic mihi non valde placet, quia sic duae imagines confunduntur, quod bono poetae est cavendum.

Nub. vs. 1424 frugi filius Phidippides ridiculum exemplum dat bonorum praeceptorum, quae a Socrate accepit. Praedicat enim: „Nonne mihi licet

θεῖναι νόμον τοῖς υἱέσιν τοὺς πατέρας ἀντιτύπτειν;

Nempe

σκέψαι δὲ τοὺς ἀλεκτρυόνας καὶ τἄλλα τὰ βοτὰ ταυτί,
ὡς τοὺς πατέρας ἀμύνεται."

Notum est pleraque animalia, cum semel adoleverint, parentes suos non amplius agnoscere, neque parentes liberos. Fieri igitur potest ut filius patrem male mulcet.

Vide quoque Av. vs. 1337, ubi lepide filius parricida introducitur, qui avis fieri vult ideo ut patrem occidere possit.

„Cum tres squamas, quas fallax collega mihi pro obolis dederat, exspuerem", Philocleon narrat Vesp. vs. 794 „ac eum in ius trahere vellem,

ἀλεκτρυόνος μ' ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν·
ταχὺ γοῦν καθέψεις τἀργύριον, ἦ δ' ὃς γελῶν.

Eodem sensu nos dicimus: *hij heeft een struisvogelmaag.*

Cum in fab. Vesparum servus senem exsultantem compescere conatur, hic minatur vs. 1490:

πτήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ.

Ad haec scholiasta annotat:

παροιμία ἐπὶ τῶν κακόν τι πασχόντων, ἀπὸ Φρυνίχου τοῦ

τραγικοῦ, ὃν Ἀθηναῖοι χιλίαις ἐζημίωσαν ἅλωσιν Μιλήτου τραγῳδήσαντα.

ἀλέκτωρ hic est gallus ab adversario in certamine devictus

Ex fragmento 237:

ᾠὸν μέγιστον τέτοκεν ὡς ἀλεκτρυών.

discere possumus vocem *ἀλεκτρυών* etiam usurpari pro gallina nec solum pro gallo. Cf. quoque Cratini fr. 108 fabulae Nemeseos:

Λήδα, σὸν ἔργον· δεῖ σ᾽ ὅπως εὐσχήμονος
ἀλεκτρυόνος μηδὲν διοίσεις τοὺς τρόπους,
ἐπὶ τῷδ᾽ ἐπώζουσ᾽, ὡς ἂν ἐκλέψῃς καλὸν
ἡμῖν τι καὶ θαυμαστὸν ἐκ τοῦδ᾽ ὄρνεον.

videtur Cratinus quoque finxisse ovum a Nemesi partum ab Leda exclusum esse (Kock).

Gallis accedat mirus ille Aeschyli *ἱππαλεκτρυών*, qui *σημεῖον ἐν ταῖς ναυσὶν ἐνεγέγραπτο* (1). Vide Ran. vs. 932. Rarum hoc animal nostro valde ludicrum visum est. Nempe non solum loco nuper laudato id in ridiculum detorquet, sed etiam Pac. vs. 1177, ubi chorus dicit: „Odi illum iactatorem centurionem, qui domi superbit, in proelio autem primus omnium fugit

ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν
τοὺς λόφους σείων.

---

(1) Cum equus ac gallus cervicem habeant subsimili modo curvatam, eorum corpora apte una imagine coniungi possunt ita ut corpus sit equi, caput ac cervix galli.

Av. vs. 800 de novo homine Diitrephe dicitur:

ἡρέθη φύλαρχος, εἶθ' ἵππαρχος, εἶτ' ἐξ οὐδενὸς
μεγάλα πράττει κἀστὶ νυνὶ ξουθὸς ἱππαλεκτρύων.

Fortasse idem est ac taxiarchus ille, qui in fabula Pacis perstringitur quidem, sed non nominatur.

VARIAE ALIAE AVES.

Cum in fabula Vesparum unus ferocium illorum heliastarum filio suo, qui digito promovet lucernae ellychnium, alapam infligit, hic vs. 256 indignabundus minatur:

εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς,
ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί·
κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουὶ στερηθεὶς
τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.

Hac lucerna carens in tenebris oberrans tamquam attagen lutum turbabis.

Ut saepius facit in illis digressionibus, in quibus quam maxime elucet lasciviens eius ingenium, sic in fine quoque parabaseos Pacis poeta occasionem amplectitur indulgendi odio, quod exercuit contra pumilionum genus *καρκινιτῶν*. Vs. 781 Musam hoc modo orat: Mecum choros exerce,

ἢν δὲ σε Καρκίνος ἐλθὼν
ἀντιβολῇ μετὰ τῶν παίδων χορεῦσαι,
μήθ' ὑπάκουε μήτ' ἔλ-
θῃς ξυνέριθος αὐτοῖς,
ἀλλὰ νόμιζε πάντας
ὄρτυγας οἰκογενεῖς, γυλιαύχενας ὀρχηστὰς
νανοφυεῖς, σφυράδων ἀποκνίσματα, μηχανοδίφας.

Si autem Carcinus venerit, orans ut secum ac eius filiis choreas instituas, ne obtemperes nec venias adiutrix illis, sed puta omnes esse coturnices domesticas, saltatores brevicervicos, statura nannos, caprinorum stercorum ramenta, machinarum inventores.

„Omnia iam facerem", Philocleon Vesp. vs. 349 dicit, „si ex hoc carcere effugere possem,

οὕτω κιττῶ διὰ τῶν σανίδων μετὰ χοιρίνης περιελθεῖν.

Ad explicandum verbum *κιττῶ* scholiasta haec annotat: *εἴρηται δ' ἐκ τοῦ ὀρνέου κίττης, ὅπερ, ἐπιθυμητικῶς ἔχον τῶν ἀκροδρύων ταχέως δυσαρεστεῖται, ἐξ ὧν δ' ἂν ἐσθίοι, καὶ πάλιν ἑτέρων ἐπιθυμεῖ.*

In rixa Dicaeopolidis ac Lamachi hic rogat Ach. vs. 598:

τίς γὰρ εἶ;

cui alter respondet:

ὅστις; πολίτης χρηστὸς, οὐ σπουδαρχίδης,
σὺ δ' ἐξ ὅτου περ ὁ πόλεμος μισθαρχίδης.

Lamacho se defendente: *ἐχειροτόνησαν γάρ με*, Dicaeopolis contemptim respondet: *κόκκυγές γε τρεῖς.* Tres scilicet garruli ac leves rhetores. Cf. fr. 64 Platonis comici:

οὐχ ὁρᾷς ὅτι
ὁ μὲν Λέαγρος, Γλαύκωνος ὢν μεγάλου γένους,
ἀβελτεροκόκκυξ ἠλίθιος περιέρχεται;

Bekk. anekd. 27, 24 *ἀβελτεροκόκκυξ*: *ἀβέλτερος καὶ κενός, κόκκυγα λέγουσι τὸν κενὸν καὶ κοῦφον.*

Eandem ob causam avium urbs vocatur: Νεφελοκοκκυγία.

Cum in fabula Lysistratae mulieres in Acropoli obsideantur, una ac altera in urbem aufugere conatur. Astuta quaedam se parturire simulat ideoque galeam Minervae sub veste occultat, ut gravida esse videatur. Casside autem detecta, duci severae roganti:

τί δῆτα ταύτην εἶχες;

scite respondet vs. 758:

ἵνα μ' εἰ καταλάβοι
ὁ τόκος ἔτ' ἐν πόλει, τέκοιμ' ἐς τὴν κυνῆν
ἐσβᾶσα ταύτην, ὥσπερ αἱ περιστεραί.

Ut, si me occupasset partus adhuc in arce versantem, parerem in galeam illam ingressa, sicut columbae. *ὅτι ἐν κοιλώμασι τίκτουσιν*, scholiasta annotat.

Plut. vs. 1010 anus ab amatore deserta queritur: „Cum adhuc pauper esset, mihi hic iuvenis omnibus modis adulabatur,

καὶ νὴ Δί' εἰ λυπουμένην αἴσθοιτό με
νηττάριον ἂν καὶ βάτιον (1) *ὑπεκορίζετο.*

Cum Ach. vs. 60 legati revertentes a rege Persarum magnificis vestibus ornati in concionem Atheniensium introducuntur, praecone clamante:

οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως,

Dicaeopolis simplex ille agricola Acharnensis indignabundus clamat:

ποίου βασιλέως; ἄχθομαι 'γὼ πρέσβεσι
καὶ τοῖς ταῶσι τοῖς τ' ἀλαζονεύμασιν.

---

(1) Quid sit *βάτιον* non patet, quapropter Bentleius substituit *φάττιον*.

Taedet me legatorum, illorum pavonum, illius fastus.

Quamquam Eq. vs. 956 non comparationem continet proprie dictam, non tamen hinc alienus est.

Cum igitur seni Demo astutia adulantis botularii decepto persuasum sit ut huic se totum tradat, tamquam signum imperii ei anulum suum tradit. Tum (vs. 957) novum exemplum impudentiae Paphlagonis reperitur, pro Demi enim sigillo suum restituit, nempe:

λάρος κεχηνὼς ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν.

Imago sui ipsius: Mergus, qui magno hiatu in saxo concionatur.

Hic versus etiam exemplum praebet usus *ἀπροσδοκήτου*, quod vocatur. Etenim post verbum *πέτρας* expectaremus *καθήμενος* vel tale aliquid. Sed poeta lepide addit *δημηγορῶν*, ita ut praecedens quoque vocabulum *πέτρας* aliam significationem adipiscatur et tota imago maiores cachinnos moveat. Cf. Vesp. vs. 31 sq. ac Nub. vs. 591, ubi eodem cognomine *λάρος* Cleon a poeta designatur.

Miserum tibicinem Chaeridem, quem novimus ex fabula Acharnensium, ut pro merito laudet Pithetaerus, Av. vs. 859 corvum vocat capistratum:

παῦσαι σὺ φυσῶν. Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν;
τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δείν' ἰδὼν
οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβειωμένον.

Vesp. vs. 129 a servo narratur:

„Senex a filio vi domi retinebatur,

ὁ δ' ὡσπερεὶ κολοιὸς αὐτῷ παττάλους
ἐνέκρουεν εἰς τὸν τοῖχον, εἶτ' ἐξήλλετο.

Sine dubio poeta hic cornicem vult, qualem pueri captant ac decurtatis pennis domi alunt ut loqui discat.

In episodio illo iam saepius commemorato, ubi superstitiosos sui temporis homines et artem *τῶν χρησμολόγων* facetissime deridet comicus, vs. 1020 a Cleone dicitur: „Nisi canem fidelem tuum servaturus es, *ἀπολεῖται*,

πολλοὶ γὰρ μίσει σφε κατακρώζουσι κολοιοί.

„Multi enim contra eum crocitant graculi odio incensi."

Botulario paulo post asseverante eum vinciendum esse *ἐν πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ*, in ligno quinque foraminibus pertuso, Paphlago non deterritus pergit: (vs. 1051)

μὴ πείθου· φθονεραὶ γὰρ ἐπικρώζουσι κορῶναι.
ἀλλ' ἱέρακα φίλει, μεμνημένος ἐν φρεσὶν ὥς σοι
ἤγαγε συνδήσας Λακεδαιμονίων κορακίνους.

Alludit nimirum ad expugnationem Sphacteriae.

Lys. vs. 694 chorus mulierum conviciis senum exacerbatus minatur:

ὡς εἰ καὶ μόνον κακῶς μ' ἐρεῖς, ὑπερχολῶ γάρ,
ἀετὸν τίκτοντα κάνθαρός σε μαιεύσομαι.

Sententia huius locutionis explicatur Pacis versu 129 sq.:

ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις ἐξηυρέθη (scarabaeus scil.)
μόνος πετηνῶν ἐς θεοὺς ἀφιγμένος.
ἦλθεν κατ' ἔχθραν ἀετοῦ πάλαι ποτὲ,
ᾠ' ἐκκυλίνδων κἀντιτιμωρούμενος.

Seriem metaphorarum ex avium genere petitarum concludam fragmento 94, quod haec verba continet:

ὀσφῦν δ' ἐξ ἄκρων διακίγκλισον ἠύτε κίγκλος
ἀνδρὸς πρεσβύτου· τελέει (?) *δ' ἀγαθὴν ἐπαοιδήν.*

Hesychius annotat: *Διακίγκλισον: διάσεισον. κίγκλος δὲ ὄρνεον ἡ σεισοπυγίς.* Videntur hi versus responsum esse ab Amphiarao mulieri redditum. (Dindorf.)

Cf. fr. 1 Autocratis, quod totum laudamus, quoniam magnam similitudinem praebet cum Lys. vs. 1308 sq. quos supra commemoravimus.

οἷα παίζουσιν φίλαι
παρθένοι Λυδῶν κόραι,
κοῦφα πηδῶσαι κόμαν,
κἀνακρούουσαι χεροῖν,
Ἐφεσίαν παρ' Ἄρτεμιν,
καλλίσταν, καὶ τοῖν ἰσχίοιν
τὸ μὲν κάτω τὸ δ' αὖ
εἰς ἄνω ἐξαίρουσα
οἷα κίγκλος ἅλλεται.

INSECTA.

Inter haec vespae nimirum longe plurimae occurrunt, quippe cum tota poetae fabula nomen ab istis ferocissimis bestiolis desumpserit. Probabile mihi videtur Hom. Il. XVI. vs. 259 poetae nostro cogitationem suppeditavisse, qua fabulam, quam in mente versavit contra Atheniensium iudiciorum insanum amorem, ut ita dicam, exstrueret et ornaret.

Felix ei et facetum venit in mentem inventum adaptandi choreutis aculeos vesparum. Ipsi senes iudices vs.

1070 causam explicant, cur hoc ornamento sint praediti:

εἴ τις ὑμῶν, ὦ θεαταὶ, τὴν ἐμὴν ἰδὼν φύσιν
εἶτα θαυμάζει μ' ὁρῶν μέσον διεσφηκωμένον,
ἥτις ἡμῶν ἡ 'πίνοια τῆσδε τῆς ἐγκεντρίδος,
ῥᾳδίως ἐγὼ διδάξω, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Attici enim sumus autochthones, viri fortes, qui hostes barbaros fugavimus;

οἱ δ' ἔφευγον τὰς γνάθους καὶ τὰς ὀφρῦς κεντούμενοι.
ὥστε παρὰ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ καὶ νῦν ἔτι
μηδὲν 'Αττικοῦ καλεῖσθαι σφηκὸς ἀνδρικώτερον.

deinde vs. 1101 ita pergunt:

πολλαχοῦ σκοποῦντες ἡμᾶς εἰς ἅπανθ' εὑρήσετε
τοὺς τρόπους καὶ τὴν δίαιταν σφηξὶν ἐμφερεστάτους.
πρῶτα μὲν γὰρ οὐδὲν ἡμῶν ζῷον ἠρεθισμένον
μᾶλλον ὀξύθυμόν ἐστιν οὐδὲ δυσκολώτερον·
εἶτα τἄλλ' ὅμοια πάντα σφηξὶ μηχανώμεθα.
συλλεγέντες γὰρ καθ' ἑσμοὺς, ὡσπερεὶ τἀνθρήνια,
οἱ μὲν ἡμῶν οὗπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα,
οἱ δ' ἐν τῴδείῳ δικάζουσ', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις,
ξυμβεβυσμένοι πυκνὸν, νεύοντες εἰς τὴν γῆν, μόλις
ὥσπερ οἱ σκώληκες ([1]) *ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι.*

Nam per examina collecti, veluti crabrones in alveis, partim apud archontem, partim apud undecimviros, partim

---

[1]) Cf. scitum Anaxilae fragmentum 33:

οἱ κόλακές εἰσι τῶν ἔχοντων οὐσίας
σκώληκες· εἰς οὖν ἄκακον ἀνθρώπου τρόπον
εἰσδὺς ἕκαστος ἐσθίει καθήμενος,
ἕως ἂν ὥσπερ πυρὸν ἀποδείξῃ κενόν.
ἔπειθ' ὁ μὲν λέμμ' ἐστὶν, ὁ δ' ἕτερον δάκνει.

in Odeo ius dicimus, alii etiam apud moenia, (quae haec moenia fuerint, incertum est,) arte conferti, in terram nutantes, tamquam vermes in cellulis vix nos commoventes.

ἔς τε τὴν ἄλλην δίαιταν ἐσμὲν εὐπορώτατοι.
πάντα γὰρ κεντοῦμεν ἄνδρα κἀκπορίζομεν βίον.
ἀλλὰ γὰρ κηφῆνες ἡμῖν εἰσὶν ἐγκαθήμενοι,
οὐκ ἔχοντες κέντρον· οἳ μένοντες ἔνδον, τοῦ φόρου
τὸν πόνον κατεσθίουσιν, οὐ ταλαιπωρούμενοι.
τοῦτο δ' ἔστ' ἄλγιστον ἡμῖν, ἤν τις ἀστράτευτος ὢν
ἐκροφῇ τὸν μισθὸν ἡμῶν, τῆσδε τῆς χώρας ὕπερ
μήτε κώπην μήτε λόγχην μήτε φλύκταιναν λαβών.
ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ τὸ λοιπὸν τῶν πολιτῶν ἔμβραχυ
ὅστις ἂν μὴ 'χῃ τὸ κέντρον, μὴ φέρειν τριώβολον.

Vides quam sit festiva pictura, quam lepida ac iocosa sed eadem quam mordax, e. c. cum poeta (vs. 1115) eos pungendo ab unoquoque victum quaerere dicit vel cum gloriantes facit (vs. 1105) nullum animal se ipsis iracundius ac morosius esse. Summa vero arte poeta comparationem usque ad finem perduxit. Ipse is finis quam lepidus est et truculentos illos senes decens: „Ut meam sententiam quam brevissime dicam, censeo posthac quicumque civium aculeum non habeat, is ne triobolum accipiat."

Paulo antequam chorus apparet Bdelycleon vs. 223 spectatorum animos hisce verbis servo Xanthiae dictis praemonet ac intendit:

ἀλλ', ὦ πονηρέ, τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ
τὸ τῶν γερόντων, ἔσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ.

ἔχουσι γὰρ καὶ κέντρον ἐκ τῆς ὀσφύος
ὀξύτατον, ᾧ κεντοῦσι, καὶ κεκραγότες
πηδῶσι καὶ βάλλουσιν ὥσπερ φέψαλοι.

Xanthia respondente:

μὴ φροντίσῃς· ἐὰν ἐγὼ λίθους ἔχω,
πολλῶν δικαστῶν σφηκιὰν διασκεδῶ.

Strepitus pedum auditur, ecce apparent viginti quattuor senes, ad numeros versuum, quos rauca voce cantant, tripudiantes, torvis rugosis vultibus, labantibus macris cruribus. Solum verrunt enormi striata vespae parte posteriore, praelongo aculeo praedita.

Ut aequum est, choreutae per totam fabulam verbis utuntur suis partibus aptis. Vide vs. 403, ubi hoc cantico Bdelycleonem aggrediuntur:

εἰπέ μοι, τί μέλλομεν κινεῖν ἐκείνην τὴν χολήν,
ἥνπερ, ἡνίκ' ἄν τις ἡμῶν ὀργίσῃ τὴν σφηκιάν;
νῦν ἐκεῖνο, νῦν ἐκεῖνο,
τοὐξύθυμον, ᾧ κολαζό-
μεσθα, κέντρον ἐντέτατ' ὀξύ. (1)

Sosia vs. 420 exclamante:

Ἡράκλεις, καὶ κέντρ' ἔχουσιν. οὐχ ὁρᾷς, ὦ δέσποτα;

Bdelycleon respondet:

οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον ἐν δίκῃ τὸν Γοργίου.

---

(1) Cum vespae sint insecta *ὀπισθόκεντρα*, opinio illorum virorum, qui putant choreutas pro aculeis penibus factitiis praeditos esse aeque est absurda ac inficeta et illepida.

Cf Eupolidis nota verba de Pericle, quibus quidem non cum vespa sed cum ape comparatur:

μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Plat. Phaed. 91. c. *ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι.*

Tum chorus aspere minatur:

καὶ σέ γ' αὐτίκ' ἐξολοῦμεν· ἀλλ' ἅπας ἐπίστρεφε
δεῦρο κἀξείρας τὸ κέντρον εἶτ' ἐπ' αὐτὸν ἵεσο,
ξυσταλείς, εὔτακτος, ὀργῆς καὶ μένους ἐμπλημένος,
ὡς ἂν εὖ εἰδῇ τὸ λοιπὸν σμῆνος (¹) οἷον ὤργισεν.

Heliastarum asperum examen hic relinquere possumus et transire ad alias fabulas, in quibus comparationes cum vesparum genere inveniuntur.

Ach. vs. 864 Dicaeopolis malos tibicines, qui horrisono cantu eius bilem movent, his verbis fugat:

παῦ' ἐς κόρακας, οἱ σφῆκες οὐκ ἀπὸ τῶν θυρῶν; cet.

In certamine iusti ac iniusti oratoris in fabula Nubium hic, choro rogante uter prior dicturus sit, vs. 940 respondet:

τούτῳ δώσω· κᾆτ' ἐκ τούτων
ὧν ἂν λέξῃ
ῥηματίοισιν καινοῖς αὐτὸν
καὶ διανοίαις κατατοξεύσω.
τὸ τελευταῖον δ' ἢν ἀναγρύξῃ,
τὸ πρόσωπον ἅπαν καὶ τὠφθαλμὼ
κεντούμενος ὥσπερ ὑπ' ἀνθρηνῶν
ὑπὸ τῶν γνωμῶν ἀπολεῖται.

Nonne pravi oratoris malignitas eximie hisce versibus exprimitur? Probabile est poetae hos versus scribenti iam sequentis anni dramatis argumentum obversatum fuisse.

Aristophanem senem vesparum suarum non oblitum

(¹) Cf. Cratini fr. 2:

οἷον σοφιστῶν σμῆνος ἀνεδιφήσατε.

esse probant Lys. vs. 475 sq. Sunt verba chori mulierum senum choro dicta: „Bello abstinebo,"

ἤν μή τις ὥσπερ σφηκιὰν βλίττῃ με κἀρεθίζῃ.

Plut. vs. 301 chorus in lascivo illo cantico, quo Cyclopem deridet, palum acutum, quo eius oculum perfossurus est, σφηκίσκον appellat:

ζητήσομεν τὸν Κύκλωπα
μέγαν λαβόντες ἡμμένον σφηκίσκον ἐκτυφλῶσαι.

In eadem fabula Penia dicit vs. 562: „Apud Plutum podagrosi homines fiunt ac nimis pingues,

παρ' ἐμοὶ δ' ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις (1) καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί.

Chremylus contra lepide:

ἀπὸ τοῦ λιμοῦ γὰρ ἴσως αὐτοῖς τὸ σφηκῶδες σὺ ποριζεις.

Vesp. vs. 107 servus de Philocleone narrat:

ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι τιμῶν τὴν μακρὰν,
ὥσπερ μέλιττ' ἢ βομβυλιὸς εἰσέρχεται,
ὑπὸ τοῖς ὄνυξι κηρὸν ἀναπεπλασμένος.

Morosus semper longam lineam (qua iudices indicabant reum condemnandum esse) ungue in tesseram suam ducit et tamquam apis vel bombylius domum redit, unguibus cera sublitis.

Haec comparatio a poeta non est desumpta ex rebus, quas vidit sed ex re, quam scivit, ideoque animum nostrum minus ferit.

Obiter mihi observare liceat coryphaeum ut indicet

---

(1) Compara Germanum; *wespentaille.*

aliquem magnam vim pecuniae furatum esse, Vesp. vs. 241, hisce verbis uti:

σίμβλον δὲ φασὶ χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν.

Omnes dicunt alveare pecuniae eum habere.

VARIA ALIA INSECTA.

Ach. vs. 149. fallax ac enervatus legatus speciosis verbis confirmans regem Thraciae amicissimum esse populi Atheniensium, i. a. praedicat hoc:

ὁ δ' ὤμοσε σπένδων βοηθήσειν, ἔχων
στρατιὰν τοσαύτην ὥστ' Ἀθηναίους ἐρεῖν·
„ὅσον τὸ χρῆμα παρνόπων προσέρχεται."

Quibus verbis auditis Dicaeopolis iram vix compescens mussitat:

κάκιστ' ἀπολοίμην, εἴ τι τούτων πείθομαι
ὧν εἶπας ἐνταυθὶ σὺ, πλὴν τῶν παρνόπων.

Legato affirmante tantam manum sociorum venturam esse ut Athenienses exclamaturi sint: „Quale agmen locustarum", Dicaeopolis ad illarum bestiolarum voracitatem alludens ironice dicit: „Facile credo! Ingens agmen hominum famelicorum veluti locustarum superventurum esse, quod omnia nostra devoraturum sit. Ipse autem mox sentiet se non falsa profatum esse, cum ab istis rapacissimis homuncionibus allium sibi surreptum viderit.

Lysistratus (ita narratur Vesp. vs. 1310) in convivio senem comparavit cum asello, qui aufugit in palearum acervum,

ὁ δ' ἀνακραγὼν ἀντήκασ' αὐτὸν πάρνοπι
τὰ θρῖα τοῦ τρίβωνος ἀποβεβληκότι,
Σθενέλῳ τε τὰ σκευάρια διακεκαρμένῳ.

„Quid tu, paupelle? locustae similis es, quae folia amisit pallii vel Stheneli miseri histrionis, qui tragicam suam supellectilem vendere coactus est."

Prima comparatio praesertim scita est, praeclare enim reddit senis rusticam facetiam, quam Germani vocant: *Mutterwitz.*

„Urbs vobis condenda est," Pithetaerus Av. vs. 185 contendit,

„ὥστ' ἄρξετ' ἀνθρώπων μὲν ὥσπερ παρνόπων."

Nub. vs. 1355 Strepsiades queritur se filium suum non talem ex schola Socratis recepisse, qualem expectaverat. „In coena aliquid ludere iussus,

εὐθέως ἀρχαῖον εἶν' ἔφασκε τὸ κιθαρίζειν
ᾄδειν τε πίνονθ' ὡσπερεὶ κάχρυς γυναῖκ' ἀλοῦσαν.

Patrem haec narrantem filius torva voce interpellat:

οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σ' ἄρα τύπτεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι,
ᾄδειν κελεύονθ' ὡσπερεὶ τέττιγας ἑστιῶντα;

Nonne verberari debebas, qui canere me iuberes, quasi cicadas coena exciperes, quae cibum non requirunt sed totum diem strident.

Nub. vs. 763 Socrates Strepsiadi imperat:

ἀποχάλα τὴν φροντίδ' ἐς τὸν ἀέρα,
λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τοῦ ποδός.

Laxatam dimitte cogitationem in aera, tamquam scarabaeum lino ex pede revinctum.

Thesm. vs. 1180 novum habemus exemplum urbani Scythae ingenii; admirationi suae erga puellam saltatricem hisce verbis indulget:

ὡς ἐλαπρὸς, ὥσπερ ψύλλο κατὰ τὸ κώδιο.

Satisne scitum est, immo Scythicum, facilem puellam assimulare pulici in lodice lascivienti?

In fabula Thesmophoriazusarum Euripides eiusque socer, postquam ante domum poetae Agathonis venerunt, eum ipsum adspiciunt *ἐκκυκλούμενον* (sicut Euripides in fabula Acharnensium); quo viso Mnesilochus non potest non exclamare vs. 97:

ἀλλ' ἢ τυφλὸς μέν εἰμ'· ἐγὼ γὰρ οὐχ ὁρῶ
ἄνδρ' οὐδέν' ἐνθάδ' ὄντα, Κυρήνην δ' ὁρῶ·
Eur. *σίγα· μελῳδεῖν αὖ παρασκευάζεται.*
Mn. *μύρμηκος ἀτραποὺς, ἢ τί διαμινύρεται;*

ad haec scholiasta annotat: *ὡς λεπτὰ καὶ ἀγκύλα ἀνακρουομένου μέλη τοῦ 'Αγαθῶνος· τοιαῦται γὰρ αἱ τῶν μυρμήκων ὁδοί.*

Quia alii alios sequentes soni seriem quandam (et veluti vocis iter) efficiunt, artificiosa ac subtilia carmina Agathonis cum tortuosis viis formicarum comparari possunt.

Cf. Pherecratis fr. 145, in quo Musa queritur artem musicam a variis poetis depravatam esse, de Timotheo autem praedicat:

κακά μοι παρέχων ἅπαντας οὗτος οὓς λέγω
παρελήλυθ' ἀγαπῶν ἐκτραπέλους μυρμηκίας.

PISCES.

In episodio Euripidis fabulae Telephi hic heros infantem Orestem clam surripit eumque se interfecturum esse minatur,

nisi Achilles sibi mederi velit. Hoc episodium a nostro in fabulis Acharnensium ac Thesmophoriazusarum in ridiculum detorquetur. In illa fabula pro infante cophinus substitutus est, in hac autem uter vinarius.

Ach. vs. 350 vero Dicaeopolis cophino illo feliciter arrepto periculo mortis liberatus, victoria elatus, senes modo minaces nunc demissos animo irridens, iocans exclamat:

ὑπὸ τοῦ δέους δὲ τῆς μαρίλης μοι συχνὴν
ὁ λάρκος ἐνετίλησεν ὥσπερ σηπία.

„Eheu! tamquam sepia cophinus metu oppressus concacavit me multa fuligine."

Ex fragmento 203 (quod invenitur apud Athenaeum 7. p. 307. e.):

ἆρ' ἔνδον ἀνδρῶν κεστρέων ἀποικία;
ὡς μὲν γάρ εἰσι νήστιδες γιγνώσκετε,

videre licet quam ridicule mugiles semper ieiuni esse credebantur, quod semper inani alvo reperti esse ferebantur. Cf. Amipsiae fragmentum, quod eodem loco apud Athenaeum legitur:

ἐγὼ δ' ἰὼν πειράσομαι
εἰς τὴν ἀγορὰν ἔργον λαβεῖν. B. *ἧττον δ' ἂν οὖν*
νῆστις καθάπερ κεστρεὺς ἀκολουθήσεις ἐμοί.

„Videtur colloqui parasitus cum eo, quem frustra secutus erat, sperans fore ut ab eo invitaretur." (Kock.) Cf. quoque Theopompi fr. 13.

Quemadmodum nos dicimus: *glad als een aal,* in fragmento 25 dicitur:

καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς.

Cf. Eupolidis versum:

τὸ σῶμ' ἔχουσα λεῖον, ὥσπερ ἔγχελυς.

Fr. 416 continet haec verba:

'Αποσκαρίζειν ὡσπερεὶ πέρκην χαμαί.

Humo prosilire tamquam percam.

ANIMALIA CRUSTATA.

Non inscite Thesm. vs. 530 chorus mulierum post proverbii verba:

„ὑπὸ λίθῳ γὰρ παντί που χρὴ μὴ δάκῃ"

ἀπροσδοκήτως pergit: *„ῥήτωρ ἀθρεῖν"* pro *σκορπίον ἀθρεῖν.*

Cf. Eupolidis fr. 231

Τῆνος αὕτη,

πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους ἔχεις τε συκοφάντας·

ac [Demosth] XXV, 52, ubi orator poetam ita imitatus est:

πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥσπερ ἔχις ἢ σκορπίος ἠρκὼς τὸ κέντρον. κ. τ. ἑ.

Cum Vesp. vs. 1509 unus Carcini filiorum scenam ad saltandum intrat, senex Philocleon ad eius nomen alludens contemptim rogat:

τουτὶ τί ἦν τὸ προσέρπον; ὀξὶς ἢ φάλαγξ;

Xanth. *ὁ πιννοτήρης οὗτός ἐστι τοῦ γένους,*
ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ.

Phil. *ὦ Καρκίν', ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας·*
ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων.

CONCHYLIUM.

Servus Xanthias mirum morbum senis heri narrans i. a. Vesp. vs. 105 dicit:

κἄπειτ' ἐκεῖσ' (*ἐς τὴν πύκνα* scil.) *ἐλθὼν προκαθεύδει πρῴ πάνυ,*
ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι.

Satis lepida ac vivida est pictura. Oculis videmus senem cum somno colluctantem tamquam ostream columnae adhaerentem.

Pluti vs. 1095 cum eodem animali comparatur anus, quae iuvenem amatum acriter persequitur:

ὡς εὐτόνως, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ γρᾴδιον
ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσίσχεται.

Quam strenue, mehercle, anicula velut ostreum adolescenti adhaerescit.

METAPHORAE E VITA QUOTIDIANA PETITAE.

Complures metaphoras Aristophani praebuit ars coquinaria et coena quotidiana. Hinc est petita lepida imago, quae occurrit Eq. vs. 824:

(Cleon) *τοὺς καυλοὺς*
τῶν εὐθυνῶν ἐκκαυλίζων
καταβροχθίζει, κἀμφοῖν χειροῖν
μυστιλᾶται τῶν δημοσίων.

Vividissima est pictura. Oculis eum videmus, illum heluonem delicias coenae voraciter deglutientem ac ambabus manibus se ipsum ingurgitantem. Notum est *τὸν καυλὸν* suavissimam esse partem silphii, quod olus antiqui maxime amabant. Cf. vs. 895.

Eq. vs. 752. Demus, Paphlagonis et botularii certamen diiudicaturus, contendit se nullo alio loco sedere velle nisi in foro; tum botularius:

οἴμοι κακοδαίμων, ὡς ἀπόλωλ'. ὁ γὰρ γέρων
οἴκοι μὲν ἀνδρῶν ἐστι δεξιώτατος,
ὅταν δ' ἐπὶ ταυτησὶ καθῆται τῆς πέτρας,
κέχηνεν ὥσπερ ἐμποδίζων ἰσχάδας.

Domi quidem senex omnium est prudentissimus, cum autem sedet in hoc saxo, stupet tamquam homo, qui caricas funiculo perserit ac ita coniungit; quae fuit nimirum occupatio valde taediosa. Ita vulgo vocabulum *ἐμποδίζων* explicatur. Kock tamen dubitat num hoc significare possit ideoque legendum proponit *ἐμβροχίζων*, quod mihi non valde placet. Fieri potest ut aliud vocabulum requiratur, quamquam non est cur vulgatam explicationem reiiciamus. Cf. Varro R. R. 1. 41.

In scita oratione, (nos dicimus: *boetpredikatie*) quam in fabula Pacis habet Mercurius, postquam dea in lucem protracta est, Athenienses vituperat quod pacem expulerunt et semet ipsos rabulis et quadruplatoribus dediderunt. Qui cum lucri causa divitem aliquem hominem e civitate foederata insimularent (vs. 640)

ὡς φρονεῖ τὰ Βρασίδου.
εἶτ' ἂν ὑμεῖς τοῦτον ὥσπερ κυνίδι' ἐσπαράττετε·
ἡ πόλις γὰρ ὠχριῶσα κἀν φόβῳ καθημένη
ἅττα διαβάλοι τις αὐτῇ, ταῦτ' ἂν ἥδιστ' ἤσθιεν.

Urbs enim pallida desidens, quaecunque quis calumniose ei obiiceret, libentissime comedebat.
Iocose poeta verbo expectato *προβάλοι* (cf. Nub. 489.) substituit *διαβάλοι*.

Comice Vesp. vs. 462 servus, acribus heliastis repulsis, Bdelycleoni dicit: „Non tam facile eos fugavisses,
εἴπερ ἔτυχον τῶν μελῶν τῶν Φιλοκλέους βεβρωκότες."

Noto artificio, quo omnes omnis aevi comici usi sunt, Aristophanes verba vulgaria e vita quotidiana

petita adhibere solet locis, ubi sententia sublimius aliquod vocabulum requirere videbatur. Ita Vesp. vs. 1083 viri qui in pugna Marathonia vicerunt dicunt:

ἐμαχόμεσθ' αὐτοῖσι, θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες.

Exspectaveris nimirum *μένους, θυμοῦ ὀξέος ἐμπλησθέντες* vel tale aliquid.

Vesp. vs. 1367 senex Philocleon, ut vituperantem se filium lacessat ac ei metum incutiat ne iterum litium amore corripiatur, dicit:

ὡς ἡδέως φάγοις ἂν ἐξ ὄξους δίκην.

litem in aceto coctam, itaque peracerbam.

Eodem fere sensu poeta Eq. vs. 1303 successorem Cleonis vocat:

ἄνδρα μοχθηρὸν πολίτην, ὀξίνην Ὑπέρβολον.

ὀξίνην eum vocat pro *ὀξύθυμον* vel *ὀξύχολον.*

Aristot. Eth. Nic. 9. *ὑπερβολῇ δ' εἰσὶν οἱ ἀκρόχολοι ὀξεῖς καὶ πρὸς πᾶν ὀργίλοι καὶ ἐπὶ παντί.*

Cf. quoque Cratini fr. 6:

εἶδες τὴν Θασίαν ἅλμην οἷ' ἄττα βαΰζει,
ὡς εὖ καὶ ταχέως ἀπετίσατο καὶ παραχρῆμα,
οὐ μέντοι παρὰ κωφὸν ὁ τυφλὸς ἔοικε λαλῆσαι.

„De homine salso et mordacis ingenii, quemadmodum *Ἀλμίωνος* nomen ad ingenii acerbitatem referebatur." (Meineke.) Ad ultimum versum explicandum Kock annotat haec: „Proverbium videtur fuisse de iis, qui quod ipsi nesciunt aliis narrant ne audientibus quidem quid narretur. Contrarium hic evenisse poeta dicit."

„Tu, heliasta, qui te regem esse praedicas," Bdelycleon Vesp. vs. 673 perhibet,

„*σὺ δὲ τῆς ἀρχῆς ἀγαπᾷς τῆς σῆς τοὺς ἀργελόφους περιτρώγων.*"

Scholiasta annotat: ἀργέλοφοι: τῆς μηλωτῆς οἱ πόδες. τὰ ἄχρηστα igitur.

Paulo ante collegae senis filio hanc locutionem suggesserunt, vs. 545 dicentes: Nisi viceris, appellabimur ἀντωμοσιῶν κελύφη, litium putamina.

Vs. 596 poeta verbo περιτρώγειν utitur alio sensu, qui comparandus est potius cum nostro verbo *beknibbelen:*

αὐτὸς δ' ὁ Κλέων ὁ κεκραξιδάμας μόνον ἡμᾶς οὐ περιτρώγει,

Philocleon ibi contendit, quae laudatio re vera nimirum acerbam accusationem includit

Ex convivio potatorio est desumpta metaphora, quam legimus Eq. vs. 887. Paphlago, a botulario praetervectus ibi exclamat:

οἴμοι τάλας, οἵοις πιθηκισμοῖς με περιελαύνεις.

cui alter rustico sed festivo ioco respondet:

οὔκ, ἀλλ' ὅπερ πίνων ἀνὴρ πέπονθ', ὅταν χεσείῃ,
τοῖσιν τρόποις τοῖς σοῖσιν ὥσπερ βλαυτίοισι χρῶμαι.

sicut ii, qui e convivio ad alvum exonerandum festinanter discedunt, raptim alienis soleis utuntur, ita ego tuis moribus utor.

Eccles vs. 137 mulieres a Praxagora convocatae parum honorifice de viris in comitiis publicas res tractantibus perhibent:

τὰ γοῦν βουλεύματα
αὐτῶν ὅσ' ἂν πράξωσιν ἐνθυμουμένοις
ὥσπερ μεθυόντων ἐστὶ παραπεπληγμένα.

si quis decreta quaecunque faciunt consideraverit, insana

ei videbuntur, veluti ab ebriis hominibus facta. Paulo post vs. 143 de iisdem dicitur:

λοιδοροῦνταί γ' ὥσπερ ἐμπεπωκότες,
καὶ τὸν παροινοῦντ' ἐκφέρουσ' οἱ τοξόται.

inter se conviciantur quasi bene appoti, temulentos autem debacchantes Scythae e coetu efferunt.

Nota locutio, quae nobis quoque non aliena est, legitur Plut. vs. 1085:

ὅμως δ' ἐπειδὴ καὶ τὸν οἶνον ἠξίους
πίνειν, ξυνεκποτέ' ἐστί σοι καὶ τὴν τρύγα.

Quibus verbis significatur is, qui rebus dulcissimis fruitus, iniucunda quoque tolerare debet. Cf. Theogn. vs. 255:

τόλμα Κύρνε κακοῖσιν ἐπεὶ κἀσθλοῖσιν ἔχαιρες.

Non inficete Aeschylus Plut. vs. 1150 frigidis iocis arbitri Dionysi ita respondet:

Διόνυσε, πίνεις οἶνον οὐκ ἀνθοσμίαν

Dionyse, non fragrans vinum potas.

Cum edendi ac bibendi occupationem iam missam facere possimus, adibimus iam ea, quae eduntur. Saepe enim noster varias res comparat cum cibo aliquo vel obsonio. Pac. vs 595 Deae Paci a choro blande dicitur:

τοῖς ἀγροίκοισιν γὰρ ἦσθα χῖδρα καὶ σωτηρία.

χῖδρα pulmentum erat ex farina triticea paratum (*μᾶζα* autem ex farina hordeacea paratur.) Compara nostra: *broodnoodig, brood des levens.*

Paulo ante, vs. 565 Mercurium non inconsulto poeta facit exclamantem:

ὦ Πόσειδον, ὡς καλὸν τὸ στῖφος αὐτῶν φαίνεται
καὶ πυκνὸν καὶ γοργὸν ὥσπερ μᾶζα καὶ πανδαισία.

O Neptune, quam pulchra adspectu eorum (i. e. pacis amantium) caterva! quam densa et compacta, velut maza et coena collatitia! Non inconsulto poetam Mercurium hoc exclamantem facere dixi. Etenim indicare vult inter spectatores quoque eos, qui pacem fieri gestiunt, multo plures esse quam a plerisque civibus existimentur.

Fragmentum 236 continet duos versus de mulieribus, Euripide dignos:

Πάσαις γυναιξὶν ἐξ ἑνός γέ του τρόπου
ὥσπερ παροψὶς μοιχὸς ἐσκευασμένος.

Omnibus mulieribus pariter, veluti obsonium moechus est paratus.

Vesp. vs. 491 Bdelycleon, cum heliastarum chorus ei obiicit quod ad tyrannida viam affectat, queritur:

ὡς ἅπανθ' ἡμῖν τυραννίς ἐστι καὶ ξυνωμόται.
ἤν τε μεῖζον ἤν τ' ἔλαττον πρᾶγμα τις κατηγορῇ,
ἧς ἐγὼ οὐκ ἤκουσα τοὔνομ' οὐδὲ πεντήκοντ' ἐτῶν·
νῦν δὲ πολλῷ τοῦ ταρίχους ἐστὶν ἀξιωτέρα,

„cuius (tyrannidis) nomen quinquaginta annis ne semel quidem audivi, nunc salsamentis vilior est." Notum est salsamenta, quorum magna copia praesertim e Ponto Euxino importabatur, propter vilitatem paupellorum hominum quotidianum cibum fuisse.

„Pestilentus iste scarabaeus" servus Pac. vs. 28 vociferatur „non est contentus,

ἢν μὴ παραθῶ τρίψας δι' ἡμέρας ὅλης,
ὥσπερ γυναικὶ γογγύλην μεμαγμένην·

nisi per totum diem, tamquam mulieri, ei apponam turundam tritam. (Nos diceremus: *als een juffertje.*)

Gallos pugnatores allio instigari putabant antiqui ideoque ante certamina hoc olus illis edendum dare solebant. Vide Xen. Symp. 4. 9. ἔνιοι τοὺς ἀλεκτρυόνας σκοροδίσαντες συμβάλλουσι. Eq. vs. 494 autem chorus botularium cum Paphlagone cecraxidama dimicaturum gallo assimulat eique allia dat, dicens:

ἔχε νυν, ἐπέγκαψον λαβὼν ταδί. Bot. τί δαί;
Chor. ἵν' ἄμεινον, ὦ τᾶν ἐσκοροδισμένος μάχῃ.

agedum degluti hoc quoque. Bot. Quid ita? Chor. ut fortius, o bone, pugnes allio pastus. Versus sequentes, in quibus comparatio continuatur, iam supra tractavimus.

Vs. 946 Demus, quem botularius sibi conciliavit, eodem vocabulo utitur Paphlagonem obiurgans:

σὺ δ' ὦ Παφλαγών, φάσκων φιλεῖν μ' ἐσκορόδισας.

Cum Dicaeopolis Ach. vs. 166 allium sibi dereptum ab Odomantibus acriter requirit, legatus perfidus, qui eos ex Thracia secum Athenas duxit, exclamat:

ὦ μοχθηρὲ σύ,
οὐ μὴ πρόσει τούτοισιν ἐσκοροδισμένοις;

o improbe, cave ne ad illos accedas, cum allio sint pasti.

Pac. vs. 502 poeta comica allegoria indicat Megarenses primam belli causam praebuisse. Cum enim agricolae deam Pacem ex fovea, in quam a Polemo deiecta est extrahere conantur, Mercurius Megarenses hisce verbis ab opere arcet:

ἄνδρες Μεγαρῆς, οὐκ ἐς κόρακας ἐρρήσετε;
μισεῖ γὰρ ὑμᾶς ἡ θεὸς μεμνημένη,
πρῶτοι γὰρ αὐτὴν τοῖς σκορόδοις ἠλείψατε.

primi acerbo vestro allio deam unxistis.

Pac. vs. 258 Trygaeus, cum servus Kydoimos a domino Polemo male mulcetur, rogat:

μῶν τῶν σκορόδων ἐνέβαλεν ἐς τὸν κόνδυλον;

Cum allii, quod a gentibus regionum, quae ad meridiem spectant, valde amatur, nobis autem Germanis aeque est invisum ac Horatio poetae, iam satis habeamus, transeamus ad alia opsonia.

Ach. vs. 638 a choro ad spectatores dicitur: Si quis antea *ἰοστεφάνους* vos appellaret,

εὐθὺς διὰ τοὺς στεφάνους ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκάθησθε.
εἰ δέ τις ὑμᾶς ὑποθωπεύσας λιπαρὰς καλέσειεν 'Αθήνας,
ηὕρετο πᾶν ἂν διὰ τὰς λιπαράς, ἀφύων τιμὴν περιάψας.

Festive poeta pulchra epitheta, quae ab antiquis vatibus urbi Atheniensium erant data, hoc loco in ridiculum detorquet, iocans enim contendit epitheton *nitidus* apuas magis decere quam urbem; attamen, inquit, pingui illo adiectivo omnia a vobis impetrari potuerunt. Vs. 638 poeta solitam locutionem: *ἐπ' ἄκρων τῶν δακτύλων βαδίζειν,* quae idem fere valet ac nostrum: *een hooge borst opzetten,* comice mutavit in: *ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων καθῆσθαι.*

Fr. 49 hanc lepidam comparationem continet:

'Ανέχασκον εἷς ἕκαστος ἐμφερέστατα
ὀπτωμέναις κόγχαισιν ἐπὶ τῶν ἀνθράκων.

Unusquisque hiabat tamquam ostrea aperta, quae lenta pruna coquuntur.

Pithetaerus in fabula avium explicans, qualibus iniuriis aves ab hominibus afficiantur, i. a. haec contendit: „Non

solum omnibus modis vos capiunt ac assant sed etiam ius conficiunt

κἄπειτα κατεσκέδασαν θερμὸν
τοῦτο καθ' ὑμῶν
αὔων ὥσπερ κενεβρείων.

ac deinde calido hoc iure vos conspergunt tamquam carnes morticinas." (i. e. mortuorum animalium) Videmus antiquo tempore coquos collegis suis huius temporis non dissimiles fuisse. Aeque callebant subrancidas carnes iure bene condito acceptas reddere convivarum palato.

Av. vs. 673 Euelpides, postquam Philomela, dulcis puella eius rogatu apparuit, confitetur:

ἐγὼ μὲν αὐτὴν κἂν φιλῆσαι μοι δοκῶ.

Equidem, opinor, ei osculum non dare nequeo.

Pith. *ἀλλ', ὦ κακόδαιμον, ῥύγχος ὀβελίσκοιν ἔχει.*

Sed o miserrime, rostrum habet duorum veruum instar. Tum alter:

ἀλλ' ὥσπερ ᾠὸν νὴ Δί' ἀπολέψαντα χρὴ
ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὸ λέμμα κᾆθ' οὕτω φιλεῖν.

At hercle oportet, tamquam ab ovo deglubere ab eius capite putamen ac deinde osculari.

„Durch die Begierde des Euelpides nach einem Kuss wird, wie es scheint, die passende Gelegenheit zur Ablegung des Schnabels mit der Vogelmaske eingeleitet, welche die Frau Nachtigal bei ihrem Flötenspiel (vs. 679) nicht brauchen kann." (KOCK.)

Thesm. vs. 1192 Scytha nobis iam notus, quem puella vs. 1180 cum pulice comparata osculatur, exclamat:

ὡς γλυκερὸ τὸ γλῶσσ', ὥσπερ 'Αττικὸς μέλις.

quam dulcis lingua, veluti mel Atticum.

Vesp. vs. 878 Bdelycleon Apollinem hisce verbis orat ut patris asperam naturam aliquantum mitiget:

παῦσον τ' αὐτοῦ τοῦτο τὸ λίαν στρυφνὸν καὶ πρίνινον ([1]) *ἦθος,*
ἀντὶ σιραίου μέλιτος μικρὸν τῷ θυμιδίῳ παραμείξας.

compesce eius indolem nimis austeram et iligneam, (i. e. duram tamquam ilex) pro defruto mellis paulum eius animo admiscens.

In fragmento 190 legimus hanc miram metaphoram:

Ὦ πρεσβῦτα πότερα φιλεῖς τὰς δρυπετεῖς ἑταίρας,
ἢ καὶ τὰς ὑποπαρθένους ἁλμάδας ὡς ἐλάας
στιφράς;

Amasne puellas tam maturas quam sunt olivae, quae ab arboribus decidunt, an etiam eas, quae nondum adultae sunt, sicut olivae durae, quae priusquam ad maturitatem pervenerunt decerpuntur et sale condiuntur. (Sicut nos ad gustum excitandum cucumeres edimus sale vel aceto conditos).

Immites uvae Graece *ὄμφακες* vocantur, tropice igitur dicitur *ὄμφακα βλέπειν* pro acerbum aspectum habere. Eodem vocabulo Dicaeopolis utitur Ach. vs. 352, ubi indignationem suam contra saevos senes Acharnicos hoc modo effundit:

δεινὸν γὰρ οὕτως ὀμφακίαν πεφυκέναι
τὸν θυμὸν ἀνδρῶν ὥστε βάλλειν καὶ βοᾶν.

Unicuique est notum Aristophanem omnia fere verba libere coniungere solere cum verbo *βλέπειν*, ut indicet aliquem rei cuiusdam speciem praebere. Sic pro adiectivo *δριμύ* nomina olerum acerborum scribit.

---

[1]) Cf. Ach. vs. 180. Vesp. vs. 383. Ran. vs. 859.

Ita legimus Vesp. vs. 455: *βλέπειν κάρδαμα.* (nasturtium) Pac. vs. 1184: *βλέπειν ὄπον.* (succum fici, quo coaguli loco utebantur antiqui.) Ran. vs. 603: *βλέπειν ὀρίγανον.* Eq. vs. 631: *βλέπειν νᾶπυ.* (sinapi)

Ach. vs. 254 mater filiam, quae canephorae vice fungitur in pompa, quam Dicaeopolis instituit, ita admonet:

ἄγ', ὦ θύγατερ, ὅπως τὸ κανοῦν καλὴ καλῶς
οἴσεις, βλέπουσα θυμβροφάγον.

Θυμβρὸν acerbum etiam est olus, *βλέπουσα θυμβροφάγον* igitur significat: aspectum habens puellae probae ac honestae, non cuivis facilis.

Multas metaphoras noster etiam deprompsit e parandis cibis, e depsendo miscendo coquendo.

Loquens de comico poeta Cratete, Eq. vs 538 dicit: (Κ*ράτης,*) *ὃς ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων* (¹) *ἀπέπεμπεν ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.*
qui modico sumtu vos prandio pastos remittebat, (e theatro domum scil.) ex simplicissimo ore sententias pinsens perquam urbanas.
Ad verba *κραμβοτάτου στόματος* Kock annotat: einen nüchternen reinen durch den Genusz leckerer Speisen nicht verdorbenen Gesmack.

Cum hoc loco comparari possunt quae leguntur Eq. vs. 815, ubi botularius Paphlagonem rogat:

σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;
ὃς ἐποίησεν τὴν πόλιν ἡμῶν μεστὴν (?) εὑρὼν ἐπιχειλῆ,
καὶ πρὸς τούτοις ἀριστώσῃ τὸν Π*ειραιᾶ προσέμαξεν.*

---

¹) Compara nostras locutiones: *smaak bezitten, smaakvol, op een verhaal tracteeren, leugens opdisschen.* cet.

Optime Kock intellexit adiectivum μεστήν hic non recte se habere ac desiderari vocem, quae plane contrarium significet: *inanis, vacuus.* Coniicere licet vocem μεστὴν a margine, in qua lector aliquis eam appinxit ad vocabulum ἐπιχειλῆ illustrandum, in contextum migrasse. Quae vox autem sit restituenda mihi non patet. Sententia horum versuum utique haec est:

Tu Themistocli te assimulas? qui, cum urbem omnibus copiis reperiret orbatam, eam labris tenus complevit, eique insuper, cum bono iam prandio aleretur, Piraeum pinsuit.

Induciis inter aves ac hominem Pithetaerum factis, admonetur hic ut, sicuti pollicitus sit, consilia sua exponat. Se paratum esse respondet his verbis: (Av. vs. 463.)

καὶ μὴν ὀργῶ, νὴ τὸν Δία, καὶ προπεφύρακται λόγος εἷς μοι ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει.

Equidem gestio dudumque mihi macerata est oratio una, quam porro subigere nihil impedit.

Eodem verbo προφυρᾶν Euripides quoque utitur Thesm. vs. 75, ubi socero Mnesilocho pavide narrat:

ἔστιν κακόν μοι μέγα τι προπεφυραμένον.

magnum malum mihi est praeparatum.

Eodem modo ac nos dicimus: *beroeren*, Graeci utuntur verbo: κυκᾶν. Lys. vs. 490 unus e prytanibus mirabundus rogat:

διὰ τἀργύριον πολεμοῦμεν γάρ;

cui Lysistrata, dux mulierum, quae arcem occupaverunt ideo ut viros cogant imperium sibi ac argentum tradere, respondet:

καὶ τἄλλα γε πάντ' ἐκυκήθη.
ἵνα γὰρ Πείσανδρος ἔχοι κλέπτειν χοἱ ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες,
ἀεί τινα κορκορυγὴν ἐκύκων.

Pisander enim et qui magistratus ambiunt, ut haberent quod furarentur, semper turbas concitare solebant.

Pac. vs. 270 Cleon vocatur:

ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα.

ac vs. 320 chorus de eodem laetus canit:

ὡς κυκάτω καὶ πατείτω πάντα καὶ ταραττέτω.

Ipse autem Eq. vs. 363 perhibet:

ἐγὼ δ' ἐπεσπηδῶν γε τὴν βουλὴν βίᾳ κυκήσω.

in senatum irrumpens, eum funditus turbabo.

Indicans aliquem omnem operam perdere Philocleon Vesp. vs. 280 „*λίθον ἕψεις*" ἔλεγεν. „lapidem coquis," dixit.

Pluti vs. 158 servus Carion, veluti philosophus, dicit: Omnes pueri meritorii non viros amant sed pecuniam, etiamsi equos rogant vel tale aliquid,

αἰσχυνόμενοι γὰρ ἀργύριον αἰτεῖν ἴσως
ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.

nam, cum eos forte pudeat pecuniam petere, verbo specioso contegunt malitiam. (sicut pistores panificium vile oculis acceptum reddunt crusto specioso)

Cf. Vesp. vs. 668, ubi Bdelycleon ita loquitur: „Omnis pecunia in crumenas manat vanorum rhetorum,

σὺ γάρ, ὦ πάτερ, αὐτοὺς
ἄρχειν αἱρεῖ σαυτοῦ, τούτοις τοῖς ῥηματίοις περιπεφθείς.

tu enim, pater, illos tibi adsciscis dominos speciosis illorum dictis deceptus.

Poetae nomine servus Vesp. 62 profitetur:

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

neque etiam quia Cleon fortunae favore inclaruit, eundem illum virum denuo conteremus. (Reliquam fabulam bene legenti patebit haec ironice dicta esse.) *μυττωτός* erat genus moreti, mistura allii, casei, cet. Cf. Ach. vs. 174 Eq. vs. 771. Pac vs. 246 quoque, ubi Polemos Graeciae urbes in immani mortario contusurus horrenda voce fremit:

Ὦ Μέγαρα Μέγαρ', ὡς ἐπιτετρίψεσθ' αὐτίκα
ἁπαξάπαντα καταμεμυττωτευμένα.

Pac. vs. 1123 servus hisce lepidis verbis fallacem atque avarum sacerdotem aggreditur:

ἐγὼ δὲ τουτονὶ τῶν κῳδίων,
ἃ 'λάμβαν' αὐτὸς ἐξαπατῶν ἐκβολβιῶ.

veluti cepae putamen, pelles quas per fraudem arripuit, ei detraham.

Non incommode his metaphoris ex arte culinaria desumptis addas lepidam imaginem quae legitur Eq. vs. 920, ubi insultabundus botularius, opificii memor, adversarium furentem comparat cum aheno ebulliente, quasi perterritus sit magna voce exclamans:

ἀνὴρ παφλάζει, παῦε παῦ'
ὑπερζέων, ὑφελκτέον
τῶν δᾳδίων, ἀπαρυστέον
τι τῶν ἀπειλῶν ταυτηί.

Desine! desine effervescere! aliquid subducendum de lignis, despumandum aliquid minarum hoc cochleari!

Non alieni ab hac serie sunt Nubium versus 1357 et 1358, quos iam supra laudavi. „Filium iussi cantare carmen aliquod Simonidis", Strepsiades narrat,

ὁ δ' εὐθέως ἀρχαῖον εἶν' ἔφασκε τὸ κιθαρίζειν
ᾄδειν τε πίνονθ' ὡσπερεὶ κάχρυς γυναῖκ' ἀλοῦσαν.

aniculae est hordea molentis tremulis labris continuo obsoletam aliquam cantilenam murmurare.

Cum semel in culinam pervenerimus, iam videamus quid huius loci caput, caminus, ad nos attineat Nub. vs. 96 agricola Strepsiades de domo illa Socratis narrat:

ἐνταῦθ' ἐνοικοῦσ' ἄνδρες, οἳ τὸν οὐρανὸν
λέγοντες ἀναπείθουσιν ὡς ἔστιν πνιγεὺς
κἄστιν περὶ ἡμᾶς οὗτος, ἡμεῖς δ'ἄνθρακες.

Ad haec scholiasta annotat: ἡμεῖς δ' ἄνθρακες, διὰ τὸ ὑπὸ ἡλίου θερμαίνεσθαι. ταῦτα δὲ πρότερος Κράτης ἐν Πανόπταις δράματι περὶ Ἱππῶνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει. Ergo hoc loco quoque, ut per totam hanc fabulam, poeta dicta ac facta aliorum philosophorum et sophistarum uni Socrati, cuius nec probitatem nec doctrinam intellexerat, obtrudit.

Av. vs. 1000 poeta geometren Metonem, cui non valde amicus erat, eodem modo facit dicentem:

αὐτίκα γὰρ ἀὴρ ἐστι τὴν ἰδέαν ὅλος
κατὰ πνιγέα μάλιστα.

A camino ultro pervenimus ad ignem.

Eq. vs. 780 botularius adversarii fallacem ambitionem his verbis accusat: „Paphlago te amat, Deme,

ἀλλ' ἢ διὰ τοῦτ' αὔθ', ὁτιή σου τῆς ἀνθρακιᾶς ἀπολαύει."

quod tuis carbonibus perfruitur.

Vesp. vs. 227 heliastae vespae

πηδῶσι καὶ βάλλουσιν ὥσπερ φέψαλοι.

saliunt ac iaciunt sicut scintillae.

Pac. vs. 609 poeta aeque ridiculo et absurdo modo ac Ach. vs. 526 explanat quo modo bellum exortum sit. „Prima fuit causa Phidias adversa fortuna usus, Pericles autem metuens ne ipse aliquid mali acciperet,

ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,
ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος,
καξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον ὥστε τῷ καπνῷ
πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι, τούς τ' ἐκεῖ τούς τ' ἐνθάδε.
ὡς δ' ἅπαξ τὸ πρῶτον ἄκουσ' ἐψόφησεν ἄμπελος
καὶ πίθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς ἀντελάκτισεν πίθῳ,
οὐκέτ' ἦν οὐδεὶς ὁ παύσων, ἥδε δ' ἠφανίζετο.

Primam festivam imaginem unusquisque intellegit. Non sine risu Periclem videmus scintillam in fomitem iniicientem ac ignem inflatis genis ita vehementer suscitantem ut fumus acerbus unicuique lacrimas extorqueat. Postremi autem versus significant: Ut primum tumultum audivit vitis, ipsa quoque crepare coepit, dolium autem percussum ira incensum alteri recalcitravit et nemo erat, qui tumultum sedaret, haecce autem (nempe pax) evanuit. Apud antiquos doliorum infima pars, quae erat oblonga et acuta, solo infossa erat. Si quis autem uni illideret,

cetera omnia hac plaga labefacta corruere debebant. Lepidissime poeta hoc loco unum dolium ob ictum, quem accipit iratum, alteri maligne fingit recalcitrans.

Cum senectute arefacta muliercula Plut vs. 1054 exclamat: *τὴν δᾷδα μή μοι πρόσφερ'.*
Chremylus iocatur:

εὖ μέντοι λέγει.
ἐὰν γὰρ αὐτὴν εἷς μόνος σπινθὴρ λάβῃ,
ὥσπερ παλαιὰν εἰρεσιώνην καύσεται.

verum dicit, si enim vel unica scintilla illam attigerit, eam comburet tamquam aridum oleae ramum. (Quem Graeci initio anni ante fores suspendere solebant et in annum sequentem servare.)

Sicut in sermone quotidiano ignis ac lumen inter se coniungi solent, nos quoque nunc metaphoras tractabimus, quas lumen ac lucernae poetae nostro suggesserunt. Nub. vs. 584 sol, spendidum illud sidus, qui deus colebatur, comice cum parvula lucerna comparatur Haec sunt verba chori nubium:

ὁ δ' ἥλιος
τὴν θρυαλλίδ' εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας
οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν, εἰ στρατηγήσει Κλέων.

Lys. vs. 1003 Spartiatae, qui uxoribus suis abstinere coacti sunt, libidinem suam celare non possunt:

μογίομες· ἂν γὰρ τὰν πόλιν
ᾇπερ λυχνοφορίοντες ἐπικεκύφαμες.

laboramus, ambulamus enim per urbem sicut lucernas gestantes. (qui ventrem reducentes lumen manu protegunt ne vento extinguatur.)

In fragmento 114 legitur hoc:

καὶ διαστίλβονθ' ὁρῶμεν
ὥσπερ ἐν καινῷ λυχνούχῳ
πάντα τῆς ἐξωμίδος.

veluti in nova lucerna, omnia per tunicam pellucere videmus.

Ex fragmento 274 apparet Aristophanem eodem sensu ac vocem λυχνοῦχος usurpare quoque vocabulum: λυχνιδίου. Verba sunt haec:

'Αλλ' ὥσπερ λύχνος
ὁμοιότατα καθεύδετ' ἐπὶ τοῦ λυχνιδίου.

Dormiebat sicut ellychnium natat in lucerna.

Lucernis demissis iam redeamus in culinam et aspiciamus supellectilem.

Vesp. vs. 1153 senex, postquam diu repugnavit quominus a filio beneficio afficiatur, tandem patienter sinit se pallio denso ac molli circumdari, querula tamen voce lamentans:

εἴπερ γ' ἀνάγκη, κρίβανόν μ' ἀμπίσχετε.

si igitur necesse est, fornacem mihi induite.

Bdel. φέρ', ἀλλ' ἐγώ σε περιβάλω· σὺ δ' οὖν ἴθι.

Age, ipse ego te amiciam; tu igitur abi. (servo hoc imperat.)

Phil παράθου γε μέντοι καὶ κρεάγραν.

Appone saltem fuscinam quoque.

Bdel. τιὴ τί δή;

Phil. ἵν' ἐξέλῃς με πρὶν διερρυηκέναι.

Ut me eximas priusquam liquefiam et diffluam.

Ad Sophoclis poetae clarissimi cognomen: μέλιττα noster in fragmento 231 a. his verbis alludit:

Ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχριμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.

Sophoclis melle illita labra veluti cadi delambit. (Euripides hic significari videtur.)

Eq. vs. 973 chorus in una illarum lepidarum cantilenarum, quas poeta tamquam condimenta identidem largiter coenae addit, gaudio se esse exsultaturum dicit, ἢν Κλέων ἀπόληται. Quamquam, inquit, audivi quosdam contra dicentes:

ὡς εἰ μὴ 'γένεθ' οὗτος ἐν
τῇ πόλει μέγας, οὐκ ἂν ἤ-
στην σκεύη δύο χρησίμω,
δοῖδυξ οὐδὲ τορύνη.

nisi hic magnus evasisset in civitate, duo utilia instrumenta non existerent, neque pistillum neque tudicula (Cf. ea quae dixi de verbo κυκᾶν.)

Poetae haec comparatio pulchrior visa est quin ea iterum uteretur. In fabula Pacis enim, cum Polemos in eo est ut urbes Graeciae in immani mortario contundat, pistillum poscit. Quod cum non sit ad manum, famulo imperat ut ad Athenienses currat idque instrumentum inde afferat. Sed infecta re mox ille redit, (vs. 268)

τὸ δεῖνα γάρ,
ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος.

Feliciter Laconum pistillum quoque, Brasidas, una cum altero periit.

Iam supra diximus poetam in lite canum, quae occurrit in fabula Vesparum, altero cane Labete ducem Lachetem significare, qui in Sicilia sacculo suo melius quam

militum ipsiusve civitatis commodo consuluisse ferebatur. Ad has rapinas alludit igitur, cum vs. 924, imaginem cum rebus veris libere permiscens, accusatorem praedicantem facit: „Ne dimittite eum,

ὅστις περιπλεύσας τὴν θυείαν ἐν κύκλῳ
ἐκ τῶν πόλεων τὸ σκῖρον ἐξεδήδοκεν.

qui mortarium circumnavigans crustam ex urbibus exedit."

Eccles. vs. 991 iuvenis contra vetulam libidinosam, cuius vultus rugis ac cicatricibus turpatus est, ita vociferatur:

ἀλλ' οὐχὶ νυνὶ κρησέραν αἰτούμεθα.

sed nunc pollinarium cribrum nobis non opus est ([1]).
Cribri etiam mentio fit in fragmento 404:

ὥσπερ κόσκινον αἰρόπινον τέτρηται.

Cribrum *αἰρόπινον* dicit, quo frumentum ab lolio purgatur. (Dindorf.)

Eccles. vs. 1002 idem iuvenis, quem anus amore incensa in cubiculum suum vi et fere obtorto collo abripit, contumeliose admodum sed non valde facete (mihi certe hic iocus friget) exclamat: uncus est, non mulier:

τί δῆτα κρεάγρας τοῖς κάδοις ὠνοίμεθ' ἄν,
ἐξὸν καθέντα γράδιον τοιουτονὶ
ἐκ τῶν φρεάτων τοὺς κάδους συλλαμβάνειν;

Paucas metaphoras noster habet ex balneo.

([1]) Compara nostrum: *een gezicht als een schuimspaan.*

Vesp. vs. 483 Philocleon minatur:

ἀλλὰ νῦν μὲν οὐδὲν ἀλγεῖς, ἀλλ' ὅταν ξυνήγορος
ταὐτὰ ταῦτά σου καταντλῇ καὶ ξυνωμότην καλῇ.

(Tum demum, Bdelycleon, totus peribis,) cum publicus causarum patronus iisdem illis verbis te suffuderit (i. e. te monarchiae cupidum esse arguerit) teque coniuratum appellaverit. *καταντλεῖν* significat: frigida vel calida aqua aliquem suffundere. Nos quoque metaphorice dicimus: *Ik kreeg een stortbad over mijn lijf.*

Lys. vs. 337 mulier collegas ita admonet: „afferte aquam,

ἤκουσα γὰρ τυφογέρον-
τας ἄνδρας ἔρρειν, στελέχη
φέροντας, ὥσπερ βαλανεύσοντας,

audivi enim capulares senes stipites ferentes, tamquam balneum calefacturos, adventuros esse."

Duae modo apud nostrum occurrunt metaphorae ex ludo alearum desumptae.
Eccles. vs. 1118, famula populum ad coenam communem invitans i. a. dicit: „Omnia bona vobis praesto sunt,

πολὺ δ' ὑπερπέπαικεν αὖ
τούτων ἁπάντων τὰ Θάσι' ἀμφορείδια.

Thasiae amphorulae autem haec omnia dulcedine longe superant.
Fr. 544: *φράζε τοίνυν, ὡς ἐγὼ πᾶς ἀνέρριμμαι κύβος.*
nos admonet celeberrimorum Caesaris verborum, postquam Rubiconem transvexit..

Ab aleis mihi liceat transire ad aliud oblectamentum minus periculosum, turbinem dico. Vesp. vs. 1517 chorus Carcini pumiliones hisce verbis ad saltandum incitat:

φέρε νυν ἡμεῖς αὐτοῖς ὀλίγον συγχωρήσωμεν ἅπαντες,
ἵν' ἐφ' ἡσυχίας ἡμῶν πρόσθεν βεμβικίζωσιν ἑαυτούς.

Agedum, omnes illis paululum cedamus, ut libere ante nos se versent, turbinum instar.

Av. vs. 1461 sycophanta de se ipso autumat:

βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ.

sicut turbo ut in omnes partes me vertere possim mihi curandum est.

METAPHORAE DEPROMPTAE EX VESTITU ET CORPORIS ORNAMENTIS.

Av. vs. 122 duo terricolae, Pithetaerus et Euelpides, hisce verbis avium regi epopi explicant cur ad eum venerint:

ἱκέτα νὼ πρὸς σὲ δεῦρ' ἀφίγμεθα,
εἴ τινα πόλιν φράσειας ἡμῖν εὔερον,
ὥσπερ σισύραν ἐγκατακλινῆναι μαλθακήν.

supplices ad te venimus, rogantes num nobis urbem quandam indicare possis, cui molliter incubemus, sicut in lanuginosam mollem lacernam. (Cf. Vesp. vs. 1138.)

Cum audiverit urbem neque bonis neque malis civibus gaudere, Aeschylus Ran. vs. 1458 exclamat:

πῶς οὖν τις ἂν σώσειε τοιαύτην πόλιν,
ᾗ μήτε χλαῖνα μήτε σισύρα συμφέρει;

cui nec laena nec paenula expedit.

Lysistrata mulierum strenua duce vs. 1161 eius fabulae, quae nomen ab ipsa accepit, legatos Atheniensium et Laconum rogante:

τί δ' οὐ διηλλάγητε; φέρε, τί τοὐμποδών;

legatus Lacedaemonius respondet:

ἁμὲς γα λῶμες, αἴ τις ἁμὶν τὤγκυκλον
λῇ τοῦτ' ἀποδόμεν. Lys. *ποῖον, ὦ τᾶν;* Lac. *τὰν Πύλον,*
ἅσπερ πάλαι δεόμεθα καὶ βλιμάδδομες.

Nos quidem volumus, si quis nobis pallium illud (*τὤγκυκλον* vestimentum erat muliebre) reddere velit. Lys. Quidnam, o bone? Lac. Pylum, quam iam dudum cupidi expetimus. (Verbum *βλιμάζειν*, Dorice *βλιμάδδειν*, obscoeno sensu usurpatur.)

Pac. vs. 686 de Hyperbolo scite dicitur:

ἀπορῶν ὁ δῆμος ἐπιτρόπου καὶ γυμνὸς ὢν
τοῦτον τέως τὸν ἄνδρα περιεζώσατο,

cum populus enim tutoris indigeret ac nudus esset, hoc homine se interim accinxit.

Vestes Sardianae antiquitus insignes erant propter magnificum puniceum colorem (Cf. Plat. com. 208.); inde Dicaeopolis, cum Persici legati caput baculo percutere minatur, tropice dicit Ach. vs. 112: „Verum mihi narra,

ἵνα μή σε βάψω βάμμα σαρδιανικόν·"

Cum Cyzici autem vestes viridi colore tinguerentur, Pac. vs. 1172 chorus non valde facete iocatur: „Odi illum militem gloriosum,

τρεῖς λόφους ἔχοντα καὶ φοινικίδ' ὀξεῖαν πάνυ,
ἥν ἐκεῖνός φησιν εἶναι βάμμα Σαρδιανικόν,
ἢν δέ που δέῃ μάχεσθ' ἔχοντα τὴν φοινικίδα,
τηνικαῦτ' αὐτὸς βέβαπται βάμμα Κυζικηνικόν.

Av. vs. 670 perhibetur de pulchra quadam avi nitidls plumis insigni:

ὅσον δ' ἔχει τὸν χρυσὸν ὥσπερ παρθένος.

quantum habet auri, tamquam compta puella.

Ovidii verba (Met. XIII. 1.) „vulgi stante corona" unicuique sunt nota, eadem autem metaphora Plut. vs. 786 Chremylus utitur narrans quanta multitudo Plutum sanatum in foro circumsteterit:

ποῖος οὐκ ὄχλος
περιεστεφάνωσεν ἐν ἀγορᾷ πρεσβυτικός;

Nub. vs. 749 ut debita sua solvere coactus non sit, Strepsiadi ingeniosa venit in mentem cogitatio: Si lunam ex caelo deducerem,

εἶτα δὲ
αὐτὴν καθείρξαιμ' ἐς λοφεῖον στρογγύλον,
ὥσπερ κάτοπτρον, κᾆτα τηροίην ἔχων,

ac deinde conclusam in capsa rotunda, tamquam speculum asservarem.

Botularius Demum edocens qualis antea fuerit Eq vs. 1347 contendit: „Si quis tibi blandiretur, facillime te decipere poterat, tu stolide nihil sentiebas,

τὰ δ' ὦτά γ' ἄν σου νὴ Δί' ἐξεπετάννυτο
ὥσπερ σκιάδειον καὶ πάλιν συνήγετο.

tamquam umbella, mehercle, aures tuae se distendebant et rursus contrahebant.

Notum est Athenis plerumque mulieres domi vestes conficere solitas esse, curantes ἱστόν τ' ἠλακάτην τε. Etenim lanificium fere unicum habebatur negotium, cui

studere iis liceret. Quod si nobis esset ignotum, Lys. vs. 568 sq. lepido modo nos docere possent, ubi Lysistrata uni ex prytanibus dicit: „nobis mulieribus ut bellum componamus mandate, omnes enim difficultates dissolvemus experientiam nostram lanificii rebus publicis adhibentes.

ὥσπερ κλωστῆρ', ὅταν ἡμῖν ᾖ τεταραγμένος, ὧδε λαβοῦσαι,
ὑπενεγκοῦσαι τοῖσιν ἀτράκτοις τὸ μὲν ἐνταυθὶ, τὸ δ' ἐκεῖσε,
οὕτως καὶ τὸν πόλεμον τοῦτον διαλύσομεν, ἤν τις ἐάσῃ,
διενεγκοῦσαι διὰ πρεσβειῶν τὸ μὲν ἐνταυθὶ, τὸ δ' ἐκεῖσε.

Veluti fila, cum nobis sunt turbata, prehendimus, unum huc, alterum illuc fusis subducentes, ita istud bellum quoque dissolvemus, si quis siverit, per legationes unum huc, alterum illuc diducentes.

Pryt. *ἐξ ἐρίων δὴ καὶ κλωστήρων καὶ ἀτράκτων πράγματα δεινὰ*
παύσειν οἴεσθ', ὦ ἀνόητοι; Lys. *κἂν ὑμῖν γ' εἴ τις ἐνῆν νοῦς,*
ἐκ τῶν ἐρίων τῶν ἡμετέρων ἐπολιτεύεσθ' ἂν ἅπαντα.
Pryt. *πῶς δή; φέρ' ἴδω.* Lys. *πρῶτον μὲν ἐχρῆν, ὥσπερ πόκου ἐν βαλανείῳ,*
ἐκπλύναντας τὴν οἰσπώτην, ἐκ τῆς πόλεως ἐπὶ κλίνης
ἐκραβδίζειν τοὺς μοχθηροὺς καὶ τοὺς τριβόλους ἀπολέξαι,
καὶ τούς γε συνισταμένους τούτους καὶ τοὺς πιλοῦντας ἑαυτοὺς
ἐπὶ ταῖς ἀρχαῖσι διαξῆναι καὶ τὰς κεφαλὰς ἀποτῖλαι·

Lys. Primum oportebat, tamquam e vellere in balneo sordes ex urbe eluere in lecto, hominesque improbos virgis expellere stercusque lanae inhaerens decerpere et istos qui inter se cohaerent et magistratus affectantes sese trudunt, distrahere, eorumque capita avellere.

εἶτα ξαίνειν ἐς καλαθίσκον, κοινὴν εὔνοιαν, ἅπαντας,
καταμειγνύντας τούς τε μετοίκους κεἴ τις ξένος ἢ φίλος ὑμῖν,
κεἴ τις ὀφείλει τῷ δημοσίῳ, καὶ τούτους ἐγκαταμεῖξαι·
καὶ νὴ Δία τάς γε πόλεις, ὁπόσαι τῆς γῆς τῆσδ' εἰσὶν ἄποικοι,
διαγιγνώσκειν ὅτι ταῦθ' ἡμῖν ὥσπερ τὰ κατάγματα κεῖται
χωρὶς ἕκαστον· κᾆτ' ἀπὸ τούτων πάντων τὸ κάταγμα λαβόντας
δεῦρο ξυνάγειν καὶ ξυναθροίζειν εἰς ἕν, κἄπειτα ποιῆσαι
τολύπην μεγάλην, κᾆτ' ἐκ ταύτης τῷ δήμῳ χλαῖναν ὑφῆναι.

deinde carminare omnes in quasillum, in communem benevolentiam dico, inquilinos quoque immiscentes et si quis hospes aut amicus sit vobis; si quis autem debeat aerario, hos quoque immisceri oportet; patriae nostrae colonias autem, mecastor, veluti glomeres lanae carminatae omnes iacere separatas scitote, ab omnibus autem illis tractum sumentes huc adducere et in unum omnia colligere vos oportet, ac deinde facere glomerem magnum ex eoque texere populo laenam.

Cum Lys. vs. 579 et 580 (et Ach. vs. 112) apte comparari possunt Ach. vs. 319 et 320, ubi senes carbonarii se invicem ita in Dicaeopolidem exhortantur:

εἰπέ μοι, τί φειδόμεσθα τῶν λίθων, ὦ δημόται,
μὴ οὐ καταξαίνειν τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐς φοινικίδα;

METAPHORAE PETITAE EX REBUS AMATORIIS ET NATURALIBUS.

Eq. vs 736 botularius Demum comparat cum pueris amatis, qui viros probos et bonos non admittunt, sordidis autem homuncionibus se totos tradunt.

„σὺ γὰρ
ὅμοιος εἶ τοῖς παισὶ τοῖς ἐρωμένοις·
τοὺς μὲν καλούς τε κἀγαθοὺς οὐ προσδέχει,
σαυτὸν δὲ λυχνοπώλαισι καὶ νευρορράφοις
καὶ σκυτοτόμοις καὶ βυρσοπώλαισιν δίδως."

Venusta imago (qualem nos appellaremus *genrestukje*) invenitur Pac. vs. 980, ubi dea admonetur ne itidem faciat ut mulierculae adulterae solent, quae ab ianua furtim prospicientes, si quis eas animadverterit, recedant, si autem abeat, rursus prospectent.

„μὴ ποίει γ' ἅπερ αἱ
μοιχευόμεναι δρῶσι γυναῖκες·
καὶ γὰρ ἐκεῖναι παρακλίνασαι
τῆς αὐλείας παρακύπτουσιν·
κἄν τις προσέχῃ τὸν νοῦν αὐταῖς,
ἀναχωροῦσιν,
κᾆτ' ἢν ἀπίῃ, παρακύπτουσιν.
τούτων σὺ ποίει μηδὲν ἔθ' ἡμᾶς."

Eccles. vs 1161 poeta spectatores sui memores esse admonet, licet suam fabulam primam docere sorte coactus sit.

μηδὲ ταῖς κακαῖς ἑταίραις τὸν τρόπον προσεικέναι,
αἳ μόνον μνήμην ἔχουσι τῶν τελευταίων ἀεί.

Cum rusticus Strepsiades ianuam Socratis nimis fortiter pultaverit, discipulus ianitor Nub. vs. 135 ira commotus vociferatur:

ἀμαθής γε νὴ Δί', ὅστις οὑτωσὶ σφόδρα
ἀπεριμερίμνως τὴν θύραν λελάκτικας
καὶ φροντίδ' ἐξήμβλωκας ἐξηυρημένην.

Ridiculus usus verbi ἐξήμβλωκας, quod poeta sine dubio

usurpat ad Socratis matris artem *μαιευτικήν* deridendam, lepidam antithesin praebet cum gravitate iuvenis philosophi.

„A pravis istis mulieribus adeo aqua perfusi sumus," senes Lys. vs. 401 queruntur,

„*ὥστε θαιματίδια*
σείειν πάρεστιν ὥσπερ ἐνεουρηκότας."

Ran. vs. 95 de vilibus quibusdam poetis, qui semel chorum acceperunt, dicitur: „Statim ex oculis elabuntur illa *μειρακύλλια*

ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ."

Sic pueruli isti imberbes, quibus *σπέρμα παιδοποιὸν οὐκ ἔνεστιν*, opponuntur *τοῖς γενναίοις καὶ γονίμοις ποιηταῖς*, qualis fuit Aeschylus; illi tentant musam tragicam, hi uxorem ducunt et prolem vivacem ex ea procreant.

METAPHORAE A PARTIBUS HUMANI CORPORIS ET EARUM FACULTALIBUS DESUMPTAE.

Cum Francogallica locutione *de pied en cap* bene comparari possunt Plut. vs. 649 et 650, ubi servus Carion dominae narraturus quomodo Plutus sanatus sit, sic incipit:

ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα
ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ.

Ran. vs. 925 Aeschyli verba Euripides vocat *βόεια,*

ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα μορμορωπά,

supercilia habentia et cristas, terrifica et horrenda.

Initio fabulae Ecclesiazusarum spectatores Praxagoram solam adspiciunt in scena; lucernam quam manu gerit, ita alloquitur, tragoediae stylum comice imitata:

Ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου.

„O lucide ocule fictilis lucernae." Qui recordatur Solem saepe diei oculum vocari, huius versus vim comicam sentit.

Cum in fabula Lysistratae Athenienses et Lacedaemonii a mulieribus coacti invicem legatos miserunt ad pacem faciendam, Athenienses vs. 1168 rogant:

τὸ δεῖνα τοίνυν παράδοθ' ἡμῖν τουτονὶ
πρώτιστα τὸν Ἐχινοῦντα καὶ τὸν Μηλιᾶ
κόλπον τὸν ὄπισθεν καὶ τὰ Μεγαρικὰ σκέλη.

Eodem sensu nimirum quo hoc loco atque alibi sexcenties a Graecis usurpatur vox *κόλπος*, Romani utuntur voce: *sinùs* et nos: *boezem*.

Ran. vs. 4. Dionysus servo imperat: noli dicere: *ὡς πιέζομαι,*
πάνυ γάρ ἐστ' ἤδη χολή.

nam frigidus ille iocus bili iam amarior est.

Socrates stupentem novum discipulum docens solas Nubes in coelo regnare et cuncta suo numine efficere, fulmen autem quo modo oriatur his verbis explanat Nub. vs. 405:

ὅταν ἐς ταύτας ἄνεμος ξηρὸς μετεωρισθεὶς κατακλῃσθῇ,
ἔνδοθεν αὐτὰς ὥσπερ κύστιν φυσᾷ, κἄπειθ' ὑπ' ἀνάγκης
ῥήξας αὐτὰς ἔξω φέρεται σοβαρὸς διὰ τὴν πυκνότητα,
ὑπὸ τοῦ ῥοίβδου καὶ τῆς ῥύμης αὐτὸς ἑαυτὸν κατακάων.

cum ventus aridus sublimis sublatus in istis includitur, intus eas inflat tamquam vesicam, deinde necessitate

coactus eas dirumpens extrorsum fertur densitate concitatus, stridente impetu se ipsum comburens.

Pro proprio: *τὰ χείλη δακών* Nub. vs. 1368 tropice dicitur:

ὅμως δὲ τὸν θυμὸν δακὼν ἔφην.

Paululum diverso sensu Vesp. vs. 777 Bdelycleon patri suo dicit: „si domi iudicabis,

οὐχὶ πεινῶν ἀναμενεῖς,
δάκνων σεαυτὸν καὶ τὸν ἀπολογούμενον.

non esuriens finem iudicii expectare coactus eris, te ipsum et reum crucians.

Quamvis inviti, tamen parumper apud carunculis aegra membra remorari debemus. Cum senex enim sago indutus Vesp. vs. 1172 rogat, cui hominum nobilium similis sit, filius ei respondet:

ὅτῳ; δοθιῆνι σκόροδον ἠμφιεσμένῳ.

„furunculo, cui impositum est ex allio emplastrum". Eius rubrum caput sine dubio furunculus videbatur, abolla autem emplastrum. Cf. fr. 43 Teleclidis:

ὅδ' ἀπ' Αἰγίνης νήσου χωρεῖ δοθιῆνος ἔχων τὸ πρόσωπον.

De Pericle haec verba dicta esse putat Bergkius, fortasse autem referenda sunt ad Aristophanem, qui Aeginae natus erat.

Ran. vs. 1246 Dionysus Euripidi, quem Aeschylus lecythio illo profligavit, se adversario assentiri affirmat,

„τὸ ληκύθιον γὰρ τοῦτ' ἐπὶ τοῖς προλόγοισί σου
ὥσπερ τὰ σῦκ' ἐπὶ τοῖσιν ὀφθαλμοῖς ἔφυ."

lecythulus enim ille tuis prologis adhaeret tamquam mariscae (caruncula) oculis.

Vesp. vs. 702 filius patri heliastae asseverat: „imperii tui, quo tantopere gloriaris

οὐκ ἀπολαύεις, πλὴν τοῦθ' ὃ φέρεις, ἀκαρῆ, καὶ τοῦτ' ἐρίῳ σοι ἐνστάζουσιν κατὰ μικρὸν ἀεί, τοῦ ζῆν ἕνεχ', ὥσπερ ἔλαιον."

Ad haec verba non valde perspicua explicanda scholiasta annotat haec: *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν τὰ ὦτα ἀλγούντων καὶ δι' ἐρίου ἐπισταζομένων ἔλαιον καταβραχύ.*

Ad senibus maledicendum interdum in usu sunt verba *τύμβος* vel *σορός*. Ita seni ignem afferenti dicitur Lys. vs 373:

τί δαὶ σὺ πῦρ, ὦ τύμβ', ἔχων;

ac in fragmento 1 legitur:

ἀλλ εἶ σορέλλη καὶ μύρον καὶ ταινίαι.

Vesp. vs. 1370 senex, in comissatorem conversus, dum tibicinam ex convivio secum abripere conatur filio convicianti respondet, quasi ipse iuvenis, alter autem senex sit:

τί ταῦτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπὸ τύμβου πεσών;

quid deliras, quasi a tumulo delapsus sis? i. e tamquam homo qui iam diu mortuus est.

Exstant apud nostrum duae metaphorae petitae ex servorum condicione; altera quid felicissimum habuerit eorum vita indicat, altera quid miserrimum.

Plut. vs. 769 matrona Plutum, cui visus redditus est, exceptura sibi ipsi dicit:

φέρε νυν ἰοῦσ' εἴσω κομίσω καταχύσματα,
ὥσπερ νεωνήτοισιν ὀφθαλμοῖς ἐγώ.

Videmus moris fuisse ut novus servus, tamquam hospes, bellariis exciperetur; eosdem autem servos interdum etiam crudeliter cruciari potuisse nos monet Lys. vs. 845, ubi viri libidine sua cruciati queruntur:

οἴμοι κακοδαίμων, οἷος ὁ σπασμός μ' ἔχει
χὠ τέτανος ὥσπερ ἐπὶ τροχοῦ στρεβλούμενον.

Ex re nummaria desumpta comparatio valde nota invenitur Ran. vs. 718, ubi chorus in parabasi cives reprehendit quod, quemadmodum pro bonis veteribus nummis non adulteratis novis utuntur aeneis pessimae notae, ita nobiles cives contumeliis afficiunt, peregrinis autem rempublicam committunt infimo loco natis.

πολλάκις γ' ἡμῖν ἔδοξεν ἡ πόλις πεπονθέναι
ταὐτὸν ἔς τε τῶν πολιτῶν τοὺς καλούς τε κἀγαθούς,
ἔς τε τἀρχαῖον νόμισμα καὶ τὸ καινὸν χρυσίον.
οὔτε γὰρ τούτοισιν οὖσιν οὐ κεκιβδηλευμένοις,
ἀλλὰ καλλίστοις ἁπάντων, ὡς δοκεῖ, νομισμάτων,
καὶ μόνοις ὀρθῶς κοπεῖσι καὶ κεκωδωνισμένοις
ἔν τε τοῖς Ἕλλησι *καὶ τοῖς βαρβάροισι πανταχοῦ,*
χρώμεθ' οὐδὲν, ἀλλὰ τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις,
χθές τε καὶ πρῴην κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι,

eodem modo non amplius utimur nobilibus civibus, *τοῖς δὲ χαλκοῖς καὶ ξένοις.*

Cf. Ran. vs. 890, ubi Dionysus Euripidem rogat: suntne tibi dei

ἴδιοί τινές σου, κόμμα καινόν; Eur. *καὶ μάλα.*

et Plut. vs. 862, ubi de sycophanta quodam dicitur:

ἔοικε δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Nonnullas metaphoras noster petivit ex arte, non multas tamen, plures exspectaveris.

Fr. 414 continet hosce versus:

Τ*ί οὖν ποιῶμεν; χλανίδ' ἐχρῆν λευκὴν λαβεῖν,*
εἶτ' ἰσθμιακὰ λαβόντες, ὥσπερ οἱ χοροὶ,
ᾄδωμεν ἐς τὸν δεσπότην ἐγκώμιον.

Athenae. 'Ι*σθμιακόν: οὕτως καλούμενον στέφανον.*

Notum est choros, quia cantabant in honorem dei Dionysi, corona ornari solitos esse.

Eccles. vs. 634. Praxagora dicit: quam scitum erit cum pauper quidam et senex amator secundum nostrum decretum diviti iuveni dicat: mihi cede et ἐπιτήρει

ὅταν ἤδη 'γὼ διαπραξάμενος παραδῶ σοι δευτεριάζειν.

opperire dum ego, peracta re, secundas partes agendas tibi daturus sim.

Iocans Eccles. vs. 739 civis, qui supellectilem suam colligit ut ad arcam communem eam conferat, se pompam Panathenaeorum instruere fingit. Molae autem his verbis partes dat citharoedi:

σὺ δὲ δεῦρ' ἡ κιθαρῳδὸς ἔξιθι,
πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν
ἀωρὶ νύκτωρ διὰ τὸν ὄρθριον νόμον.

Ad risum movendum ludit voce ὄρθριος, quae eodem fere sono est ac ὄρθιος, τὸν ὄρθιον autem νόμον ex Herodoti narratione de Arione novimus omnes.

Vesp. vs. 574 a Philocleone tropice dicitur:

ἡμεῖς αὐτῷ τότε τῆς ὀργῆς ὀλίγον τὸν κόλλοπ' ἀνεῖμεν,

tum irae nostrae verticillum (quo lyrae chordae intendebantur) paululum ei relaxamus.

Ex arte plastica quam vocant est petita metaphora, qua Aeschylus utitur Ran. vs. 1041: „Homerus instituit viros

πολλοὺς ἀγαθούς, ὧν ἦν καὶ Λάμαχος ἥρως·
ὅθεν ἡμὴ φρὴν ἀπομαξαμένη πολλὰς ἀρετὰς ἐποίησεν,
Πατρόκλων, Τεύκρων θυμολεόντων, cet.

Ex bona materia, quam Homerus ei praebuerit se signa suorum heroum finxisse Aeschylus affirmat.

Ran. vs. 536 chorus servum astutum, qui callide tempori servit, his verbis laudat: Viri prudentis est

μετακυλίνδειν αὑτὸν ἀεὶ
πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον,
μᾶλλον ἢ γεγραμμένην
εἰκόν' ἑστάναι, λαβόνθ' ἓν
σχῆμα.

τοῖχος hoc loco significat latus navis; ad illud latus, quod non in periculo versatur se convertere oportet hominem prudentem neque tamquam pictam imaginem, immobilem manere.

Av. vs. 1113 aves se iudices concacaturos esse minantur, nisi praemio se dignos esse iudicaverint, ideoque illis suadent lunulas sibi faciendas curare, quales signa gerant:

„ἢν δέ μὴ κρίνητε, χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν
ὥσπερ ἀνδριάντες· ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μῆν' ἔχῃ,
ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκὴν, τότε μάλισθ' οὕτω δίκην
δώσεθ' ἡμῖν, πᾶσι τοῖς ὄρνισι κατατιλώμενοι.

scholiasta annotat haec: μηνίσκους: σκεπάσματα, ἅπερ ἐπιτιθέασι ταῖς κεφαλαῖς τῶν ἀνδριάντων διὰ τὸ μὴ ἀποπατεῖν κατ' αὐτῶν.

METAPHORAE DEPROMPTAE EX STADIO ET HIPPODROMO.

Vesp. vs. 548 senex semet ipsum ac collegas defensurus, orationem suam ita incipit:

καὶ μὴν εὐθύς γ' ἀπὸ βαλβίδων περὶ τῆς ἀρχῆς ἀποδείξω τῆς ἡμετέρας ὡς οὐδεμιᾶς ἥττων ἐστὶν βασιλείας.

„Statim ab ipsis carceribus ostendam" cet. Compara Latinam locutionem *ad calcem usque*, quae item ex stadio desumpta est. Nos quoque dicimus: *den eindpaal bereiken*. Cf. Eq. vs. 1159, ubi botularius Demum rogat:

ἄφες ἀπὸ βαλβίδων ἐμέ τε καὶ τουτονὶ
ἵνα σ' εὖ ποιῶμεν ἐξ ἴσου.

Filio somnianti de cursibus suis equestribus ac in somnio roganti Nub. vs. 29:

πόσους δρόμους ἐλᾷ τὰ πολεμιστήρια;

pater curis excruciatus ac insomnis amare respondet:

ἐμὲ μὲν σὺ πολλοὺς τὸν πατέρ' ἐλαύνεις δρόμους.

me, tuum patrem, multis cursibus exagitas; huc illuc mente cursito num quam rationem invenire possim qua nos servaturus sim.

„Noli hunc metuere, collega," chorus Vesp. vs. 373 dicit,

ὡς ἐγὼ τοῦτόν γ', ἐὰν γρύ-
ξῃ τι, ποιήσω δακεῖν τὴν
καρδίαν καὶ τὸν περὶ ψυ-
χῆς δρόμον δραμεῖν,

si tantillum modo dixerit, eum cor suum mordere et pro vita currere cogam.

Vesp. vs. 1122 coryphaeus narrat poetam initio comoedias suas aliis docendas tradidisse, deinde autem, inquit, suo nomine periclitatus est

οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

Ran. vs. 837. Euripides aemulum suum vocat:

ἄνθρωπον ἀγριοποιὸν, αὐθαδόστομον,
ἔχοντ' ἀχάλινον ἀκρατὲς ἀθύρωτον στόμα,

poetam cuius carmina horrida Cyclopibus fortasse vel Centauris placere possunt, non cultissimae urbis civibus, ore praeditum contumaci effrenato incontinenti numquam clauso.

ἵππους ἐλαύνων ἐξέπεσον, νὴ τοὺς θεούς

Amynias quidam Nub. vs. 1272 queritur; cui senex Strepsiades praeceptis Socratis imbutus, verbis ludens respondet:

τί δῆτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπ' ὄνου καταπεσών;

Proverbium erat *ἀπὸ νοῦ πεσεῖν*, mente destitui, ludens Strepsiades igitur dicit: Ohe, ab equis decidisti, hoc non est cur lamenteris, tamquam, quod multo gravius est malum, *ἀπ' ὄνου καταπεσών.*

METAPHORAE EX PALAESTRA PETITAE.

Eq. vs. 259 chorus Cleoni exprobrat: Merito verberaris, qui *τοὺς ὑπευθύνους* exhauris,

κἄν τιν' αὐτῶν γνῷς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα,
καταγαγὼν ἐκ Χερρονήσου διαλαβὼν ἠγκύρισας,
εἶτ' ἀποστρέψας τὸν ὦμον αὐτὸν ἐνεκολήβασας.

Si autem stupidum aliquem ac inertem inter eos cognoveris, e Chersoneso tecum auferens medium prehendis ac humi prosternis, eum deprimens nexu bracchiorum tuorum curvatorum tamquam ancorae, tum umero retorto eum *ἐγκοληβάζεις*. Quod scholiasta affirmat, hoc verbum significare *ἐκπιεῖν*, merae sunt nugae. Nisi totam imaginem corrupturus es, tibi verbo opus est ex re palaestrica desumpto. A nonnullis nobis offertur: *ventrem ferire*, sed hanc signi-

ficationem nullo modo potest habere post verba: *ἀποστρέψας τὸν ὦμον.* Mihi fere significare videtur: ac eum genu imposito toto tuo onere deprimis.

Cum Cleon in fabula Equitum adulando sibi chorum conciliare conatur, hic non decipitur: vs. 269 enim exclamat:

ὡς δ' ἀλαζών, ὡς δὲ μάσθλης· εἶδες οἷ' ὑπέρχεται
ὡσπερεὶ γέροντας ἡμᾶς κἀκκοβαλικεύεται;
ἀλλ' ἐὰν ταύτῃ γε νικᾷ, ταυτῃὶ πεπλήξεται·
ἢν δ' ὑπεκκλίνῃ γε δευρί, τὸ σκέλος κυρηβάσει.

nos deludere conatur, sed si hac ratione vicerit, eadem ferietur, si vero huc declinaverit, in meum crus caput infringet. *κυρηβάζειν* est verbum, quod in usu est de ictibus caprorum.

Eq. vs. 387 chorus botularium, pugnatorem suum hoc modo incitat:

ἀλλ' ἔπιθι καὶ στρόβει,
μηδὲν ὀλίγον ποίει. νῦν γὰρ ἔχεται μέσος·
ὡς ἐὰν νυνὶ μαλάξῃς αὐτὸν ἐν τῇ προσβολῇ,
δειλὸν εὑρήσεις·

medius tenetur, si nunc eum impetu tuo debilitaveris, ignavum reperies. Unusquisque, minimam modo luctandi experientiam habeat, actum esse scit de illo, cuius medium corpus adversarius amplectatur.

Ex Nub. vs. 1047 quoque hoc discere possis, ubi argumentator iniustus adversarium ita interpellat:

ἐπίσχες· εὐθὺς γάρ σε μέσον ἔχω λαβὼν ἄφυκτον.

Nub. vs. 126 Strepsiades postquam apud filium nil effecit, se ita consolatur:

ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μέντοι πεσών γε κείσομαι.

Ante initum aemulorum poetarum certamen chorus Ran. vs. 875 Musas his verbis invocat:

ὦ Διὸς ἐννέα παρθένοι ἁγναὶ
Μοῦσαι, λεπτολόγους ξυνετὰς φρένας αἳ καθορᾶτε
ἀνδρῶν γνωμοτύπων, ὅταν εἰς ἔριν ὀξυμερίμνοις
ἔλθωσι στρεβλοῖσι παλαίσμασιν ἀντιλογοῦντες·

Musae, quae subtiles sollertes mentes aspicite virorum sententias procudentium, cum in arenam descendant acute excogitatis versutis artibus luctatoriis certantes.
Medium inter certamen vs. 1102 chorus existimat:

χαλεπὸν οὖν ἔργον διαιρεῖν,
ὅταν ὁ μὲν τείνῃ βιαίως,
ὁ δ' ἐπαναστρέφειν δύνηται κἀπερείδεσθαι τορῶς.
ἀλλὰ μὴ 'ν ταὐτῷ καθῆσθον·
ἐσβολαὶ γάρ εἰσι πολλαὶ χἄτεραι σοφισμάτων.

Difficile est iudicium, cum alter contendat fortiter, alter autem obnitatur strenue.

Pac. vs. 34 unus servorum iracundiam in scarabaeum effundens dicit:

οἷον δὲ κύψας ὁ κατάρατος ἐσθίει,
ὥσπερ παλαιστὴς παραβαλὼν τοὺς γομφίους.

veluti luctator dentes detorquens; notum est athletas antiquitus infames fuisse propter voracitatem ac ignaviam suam.

Lys. vs. 1083 chorus dicit, cum praeter Lacones Athenienses quoque videt libidinosa tentigine cruciatos:

καὶ μὴν ὁρῶ καὶ τούσδε τοὺς αὐτόχθονας
ὥσπερ παλαιστὰς ἄνδρας ἀπὸ τῶν γαστέρων
θαἰμάτι' ἀποστέλλοντας·

tamquam luctatores a ventre vestes reiicientes.

METAPHORAE PETITAE EX OPIFICIO ALIQUO.

Plurimae huius generis imagines occurrunt in fabula Equitum, in qua duo artifices, coriarius ac botularius, primas partes agant atque videlicet saepe ab ipsis vel aliis ad eorum opificium alludatur.

Eq. vs. 47 unus servorum narrat:

ὁ βυρσοπαφλαγὼν, ὑποπεσὼν τὸν δεσπότην,
ᾔκαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα
κοσκυλματίοις ἄκροισι.

Ultima verba poeta *παρ' ὑπόνοιαν* dicit pro *λογαρίοις ἄκροισι.* — *κοσκυλμάτια: τῶν βυρσῶν σμικρότατα περικόμματα.* (Suid.)

Vs. 214 idem servus botularium hoc modo exhortatur:

τάραττε καὶ χόρδευ' ὁμοῦ τὰ πράγματα
ἅπαντα, καὶ τὸν δῆμον ἀεὶ προσποιοῦ
ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

omnia disturba ac disseca, tamquam carnem ad botulos faciendos, cet

Vs. 314 Paphlago exclamat:

οἶδ' ἐγὼ τὸ πρᾶγμα τοῦθ' ὅθεν πάλαι καττύεται,

novi unde res consuatur.

Bot. *εἰ δὲ μὴ σύ γ' οἶσθα κάττυμ', οὐδ' ἐγὼ χορδεύματα,*
ὅστις ὑποτέμνων ἐπώλεις δέρμα μοχθηροῦ βοὸς
τοῖς ἀγροίκοισιν πανούργως, ὥστε φαίνεσθαι παχὺ,
καὶ πρὶν ἡμέραν φορῆσαι μεῖζον ἦν δυοῖν δοχμαῖν.

Scholiasta nobis narrat *καττύματα* solida coria esse ad faciendas soleas, de voce *ὑποτέμνειν* autem annotat: *ὅταν γὰρ ὑποτέμνῃ, παχύτερον φαίνεται, ἀσθενέστερον δέ ἐστιν,* oblique secare ita ut exile corium solidum videatur.

Cf. Ach. vs. 301, ubi chorus Dicaeopolidi affirmat:

ὡς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν ἐ-
γὼ τεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα.

Ultimo versu poeta iam indicat se fabulam (Equitum nimirum) mente agitare contra Cleonem.

Eq. vs. 334 Paphlago ironice botulario dicit:

καλῶς γ' ἂν οὖν τι πρᾶγμα προσπεσόν σοι
ὠμοσπάρακτον παραλαβὼν μεταχειρίσαιο χρηστῶς.

pulchre tu sane negotium aliquod tibi oblatum suscipiens, crudum divelleres ac probe tractares.

Vs. 369 Cleon minatur:

ἡ βύρσα σου θρανεύσεται.

corium tuum sellis obducetur.

Bot. *δερῶ σε θύλακον κλοπῆς.*

te deglubam ac ex corio tuo furis peram faciam.

Cl. *διαπατταλευθήσει χαμαί.*

distenderis humi paxillis affixus.

Bot. *περικόμματ' ἐκ σου σκευάσω.*

minutalia ex te faciam.

Cl. *τὰς βλεφαρίδας σου παρατιλῶ.*

palpebras tuas evellam.

Bot. *τὸν πρηγορῶνα σοὐκτεμῶ.*

ingluviem tuam exscindam.

Chor. *καὶ νὴ Δί' ἐμβαλόντες αὐ-*
τῷ πάτταλον μαγειρικῶς
ἐς τὸ στόμ', εἶτα δ' ἔνδοθεν
τὴν γλῶτταν ἐξείραντες αὐ-
τοῦ σκεψόμεσθ' εὖ κἀνδρικῶς
κεχηνότος
τὸν πρωκτὸν εἰ χαλαζᾷ.

atque hercle ei, sicut porco, immisso in os paxillo coquorum more, deinde linguam eius extrahentes, spectabimus probe, ipso hiante, an culus eius strumas habeat.

Vs. 768 Paphlago affirmat: nisi te amo, Deme,

ἀπολοίμην καὶ διαπρισθείην κατατμηθείην τε λέπαδνα.

Eccles. vs. 385 civis quidam, rediens ex concione, nesciens se mulieres vidisse, quas propter vestes viriles ac barbas non agnoverit, magnum numerum sutorum in concione fuisse narrat:

καὶ δῆτα πάντες σκυτοτόμοις ἠκάζομεν
ὁρῶντες αὐτούς. οὐ γὰρ ἀλλ' ὑπερφυῶς
ὡς λευκοπληθὴς ἦν ἰδεῖν ἠκκλησία.

Thesmoph. vs. 52 complures dictiones depromptae ex arte aedificandi ac ex iis opificiis quae ad eam artem pertinent, transferuntur ad artem dramatis faciendi. Famulus domo egrediens praedicat: Bona verba, quaeso,

μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων
δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς.

statumina ponere, dramatis exordia.

κάμπτει δὲ νέας ἀψῖδας ἐπῶν,

curvat vero nova interamenta verborum,

τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ κολλομελεῖ,

alia carmina tornat quidem, alia autem conglutinat,

καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει

dicteria cudit et denominationes fingit

καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγύλλει

et liquefacit versus tamquam ceram et rotundat

καὶ χοανεύει.

ac fundit in formas.

Sicut hoc loco, in omnibus fere linguis ars scribendi cum aliis artibus ac opificiis comparari solet. Compara e. c. Latinas locutiones: *carmina pangere*, *drama exstruere*, *stylus limatus*, *dictio liquida*, cet. ac nostra: *versbouw*, *een stuk samenstellen*, *een stelsel opbouwen*, *afbrekende kritiek*, *gladde stijl*, *beschaafd*, cet.

Cum Euripides vs. 68 rogat ut ad dominum admittatur, famulus metaphoram persequitur ac respondet:

μηδὲν ἱκέτευ᾽· αὐτὸς γὰρ ἔξεισιν τάχα.
καὶ γὰρ μελοποιεῖν ἄρχεται· χειμῶνος οὖν
ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥᾴδιον
ἢν μὴ προΐῃ θύραζε πρὸς τὸν ἥλιον.

Nub. vs. 1366 iuvenis Socratis praeceptis imbutus declarat:

ἐγὼ γὰρ Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς,
ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα, κρημνοποιόν.

strepitus plenum, minime dolatum, inflatum, arduorum verborum artificem.

Pac. vs. 749 chorus cantat: Noster poëta

ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ᾽ οἰκοδομήσας.

Eq. vs. 461 choro Cleonem graviter increpante, hic iram non retinere potest ac exclamat:

ταυτὶ μὰ τὴν Δήμητρά μ᾽ οὐκ ἐλάνθανεν
τεκταινόμενα τὰ πράγματ᾽, ἀλλ᾽ ἠπιστάμην
γομφούμεν᾽ αὐτὰ πάντα καὶ κολλώμενα.

sciebam omnia haec strui compingi conglutinari.
Chorus aliquantisper perterritus botularium tum ita obtestatur:

οἴμοι, σὺ δ᾽ οὐδὲν ἐξ ἁμαξουργοῦ λέγεις;

spe non destituitur, responsum enim botularii est:

καὶ ταῦτ' ἐφ' οἷσιν ἐστι συμφυσώμενα
ἐγῷδ'· ἐπὶ γὰρ τοῖς δεδεμένοις χαλκεύεται.

atque haec novi quamobrem conflentur, ad captivos (Lacedaemonios Sphacteriae captos) enim vendendos cudit.

εὖ γ' εὖ γε, χάλκευ' ἀντὶ τῶν κολλωμένων.

laetus chorus approbat.

Cum Equitum fabula huius generis metaphoras plures non contineat, alias iam adibimus.

Nub. vs. 740 Socrates novum discipulum admonet:

ἴθι νυν, καλύπτου καὶ σχάσας τὴν φροντίδα
λεπτὴν κατὰ μικρὸν περιφρόνει τὰ πράγματα,
ὀρθῶς διαιρῶν καὶ σκοπῶν.

minutatim cogitationem dividens res considera.

Vesp. vs 694 duo iuvenes rhetores, qui mercede a reo accepta, iudices fallunt ac specie modo litigant non re, comparantur cum duobus hominibus, qui serram ducunt:

ὡς πρίονθ' ὁ μὲν ἕλκει, ὁ δ' ἀντενέδωκε.

Eccles. vs. 310 mulierum chorus queritur: Antea nemo pecuniam accepit,

νυνὶ δὲ τριώβολον
ζητοῦσι λαβεῖν ὅταν
πράττωσί τι κοινὸν ὥσ-
περ πηλοφοροῦντες.

ad haec scholiasta annotat: *ὡς χειροτέχναι καὶ μισθωτοί.* (*als polderjongens.*)

Av. vs. 1145. In aedificanda urbe avium,

οἱ χῆνες ὑποτύπτοντες, ὥσπερ ταῖς ἄμαις
ἐς τὰς λεκάνας ἐνέβαλλον αὐτὸν τοῖν ποδοῖν.

anseres pedibus suis veluti ligonibus lutum e terra eruentes in pelves iniiciebant.

Ran vs. 1296 postquam Euripides Aeschyli carmina sublimia in ridiculum detorsit, arbiter Dionysus rogat:

τί τὸ φλαττόθρατ τοῦτ' ἐστίν; ἐκ Μαραθῶνος ἢ
πόθεν συνέλεξας ἱμονιοστρόφου μέλη;

In Marathonis ora paludosa multa crescebat φλέως, (vid. Av. 246) ex qua materia funes torquebantur, ideo rogat num ex Marathone praelonga sua carmina collegerit. „Seilerlieder heissen des Aeschylos Chorgesänge hier deswegen, weil sie aus unendlich langen Versen bestanden, während die Verse der Euripideischen *μέλη* meist sehr kurz sind." (Kock) Vertamus igitur: quid istud phlattothrat sibi vult? Ecquid ex Marathone id habes — utpote unus ex Marathonomachis — an aliunde duxisti istas tuas naenias infinitas restiario quam poeta digniores?

Pac. vs. 36 merdam devorans scarabaeus scite depingitur:

τὴν κεφαλήν τε καὶ τὼ χεῖρέ πως
ὡδὶ περιάγων, ὥσπερ οἱ τὰ σχοινία
τὰ παχέα συμβάλλοντες ἐς τὰς ὁλκάδας.

caput ac manus ita circumducens, ut ii qui crassos rudentes convolvunt in naves onerarias.

Cum Euripides astutia sua socerum suum liberare frustra conatus est, una ex mulieribus Thesm. vs. 934 dicit:

νὴ Δί', ὡς νῦν δῆτ' ἀνὴρ
ὀλίγου μ' ἀφεῖλετ' αὐτὸν ἱστιορράφος.

ad explicandam vocem *ἱστιορράφος*, quae hoc loco significat: homo vafer, scholiasta annotat: *ἐπεὶ ἄνω αἰγυπτιάζειν αὐτοὺς ἔφη, οἱ δὲ Αἰγύπτιοι λινοποιοί εἰσιν.* (ac propter astutiam suam infames.)

Alludens ad carbonarium opificium Dicaeopolis post Acharnicorum senum minas Ach. vs. 321 exclamat:

οἷον αὖ μέλας τις ὑμῖν θυμάλωψ ἐπέζεσεν.

qualis fuligo iracundiae in vobis effervescit. (Cf. Eur. Hecub. 583.)

Eccles. vs 826 tropice dicitur: cum unusquisque exspectaret lucrum fore reipublicae ex tributo, quod Euripides excogitarat,

εὐθὺς κατεχρύσου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην,

cum autem cives hac spe destituerentur,

πάλιν κατεπίττου πᾶς ἀνὴρ Εὐριπίδην.

Mercatura tres modo metaphoras nostro suggessit, quae omnes occurrunt in fabula Ranarum. Vs. 858 dicitur:

λοιδορεῖσθαι δ' οὐ θέμις
ἄνδρας ποιητὰς ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Apud Graecos τὰς ἀρτοπώλιδας eadem fama usas esse ac nostras mulieres piscatorias est notum. Cum uterque poeta ridicula exempla alterius poeseos dederit, Dionysus vs. 1364 iubet:

παύσασθον ἤδη τῶν μελῶν. Aesch. κἄμοιγ' ἅλις.
ἐπὶ τὸν σταθμὸν γὰρ αὐτὸν ἀγαγεῖν βούλομαι,
ὅπερ ἐξελέγξει τὴν ποίησιν νῷν μόνον·
τὸ γὰρ βάρος νῷν βασανιεῖ τῶν ῥημάτων.
Dion. ἴτε δεῦρό νυν, εἴπερ γε δεῖ καὶ τοῦτό με
ἀνδρῶν ποιητῶν τυροπωλῆσαι τέχνην.

„siquidem mihi poetarum ars tamquam caseus ponderanda est." Utrinque stateram prehendunt ac Dionyso iubente alternis vicibus suos ipsorum versus recitant.

Eur. εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Aesch. Σπερχειὲ ποταμὲ βουνόμοι τ' ἐπιστροφαί

Dion. *κόκκυ, μέθεσθε· καὶ πολύ γε κατωτέρω*
χωρεῖ τὸ τοῦδε.

Euripides autem aspere rogat: *καὶ τί ποτ' ἐστὶ ταἴτιον;* cui Dionysus respondet:

ὅτι εἰσέθηκε ποταμὸν, ἐριοπωλικῶς
ὑγρὸν ποιήσας τοὔπος ὥσπερ τἄρια,
σὺ δ' εἰσέθηκας τοὔπος ἐπτερωμένον.

versum madefecit, quemadmodum ii qui lanam vendunt facere solent ut pondus maius reddant.

METAPHORAE PETITAE EX ARTIFICIO PISCATORIO.

Eodem modo ac nos de homine perverso qui fallaci modo omnia perturbat ut ipse lucrum faciat, tropice dicimus: *hij vischt in troebel water*, Eq. vs. 864 Cleoni obiicitur:

ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας.
ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδὲν,
ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
αἱροῦσι· καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

Vs. 312 idem Cleon denuo obiurgatur: totam urbem pervertisti

ἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν.

vectigalia speculans veluti piscatores e scopulo thynnos prospiciunt.

Vesp. vs. 1087 a veteribus illis Marathonomachis narratur: in Marathonia pugna barbaros

εἱπόμεσθα, θυννάζοντες ἐς τοὺς θυλάκους.

tamquam piscatores thynnorum eos in braccas pungentes.

Ad significandum: aliquem frustra laborasse, Thesm. vs 928 metaphorice dicitur:

αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν.

hic funiculus nihil (nullum piscem) adduxit.

ac eodem modo Vesp. vs. 175:

ἀλλ' οὐκ ἔσπασεν ταύτῃ γ'.

Ex medicina est desumpta metaphora, quae occurrit Eq. vs. 1148, ubi Demus dicit: qui se me fallere posse putent, eos ipsos circumvenio, observo enim quaecunque furantur,

ἔπειτ' ἀναγ-
κάζω πάλιν ἐξεμεῖν
ἅττ' ἂν κεκλόφωσί μου,
κημὸν καταμηλῶν.

μηλή specillum est, quod medicum instrumentum nos vocamus: *sonde*. *καταμηλοῦν* significat: specillo aliquem cogere ut vomat; specillo autem, quo Demus utitur *ὁ κημός* est, qualum urnae impositum *ἵνα αἱ ψῆφοι μὴ ὀλισθάνωσιν*; tropice usurpatur pro: anquisitio iudicialis. Si locutionem ita interpretaris, omnia recte se habent, sed tum accusativus *κημὸν* mihi ferri non posse videtur ideoque legendum esse censeo: *κημῷ*.

THESES.

THESES.

I.

Lucret. I, 15:
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
Pro voce „ferae" alia substituatur.

II.

Lucret. I, 66 prorsus iniuria Lachmannus verbum „tollere" mutavit in „tendere" et vs. 68 vocem „fama" in „fana".

III.

Lucret. I, 156:
quas ob res ubi viderimus nil posse creari
de nilo, tum quod sequimur iam rectius inde
perspiciemus,
Pro „sequimur" legendum „sequitur".

IV.

Wölfflinio contendenti: (Philologus 1874, vol. 34, pars I, p. 146) „Bei Sallust ist man gewohnt jede auffällige eigenthümlichkeit als archaismus zu taufen, während man oft besser thäte von *vulgären demokratenlatein* zu sprechen" non assentiendum esse credo. Verisimilius est Sallustium interdum usurpare dicendi genus, quo emendatissimi scriptores sicuti Cicero et Caesar in sermone quidem cotidiano utebantur, a quo autem in scriptis abhorrebant.

V.

Nimis pauca nota sunt de scriptis et vita Asini Polionis quam ut facere possimus cum Wölfflinio et Miodońskio (C. Asini Polionis de Bello Africo commentarius. Recensuerunt E. Wölfflin et A. Miodoński. Lipsiae in aedibus Teubneri.) qui illi viro commentarium de Bello Africo asscripserunt.

VI.

Ovid. Trist. III, 1, 40:
cingit et augustas arbor opaca comas?
bonum sensum non praebet.

VII.

Caes. d. B. G. III, 1, 6:
alteram partem eius vici Galli ad hiemandum concessit,
Pro „hiemandum" legendum „habitandum"

VIII.

Caes. d. B. G. IV, 6, 5:
Principibus Galliae evocatis, Caesar ea, quae cognoverat, dissimulanda sibi existimavit.

Pro „evocatis" legatur „convocatis".

IX.

Demosth. XXXVI, 3 pro *ἐπειδὴ φέρειν τοῦτον οὐχ οἷός τ' ἐστὶ*, legendum: *ἐ. φ. αὐτὸν οὗτος κ. τ. ἑ.*.

X.

Ibid. 8 pro *τούτους ἐξελόντας* legatur: *τούτῳ ἐ.*.

XI.

Isocr. IV, 38 verba *τροφὴν τοῖς δεομένοις εὑρεῖν* eiicienda sunt.

XII.

Ibid. 91 pro *ἡμᾶς τῷ πολέμῳ κρατῆσαι* legendum: *τοὺς Ἕλληνας κ. τ. ἑ.*.

XIII.

Ibid. 107 pro *εἰς τὰς ἐρημουμένας τῶν πόλεων* legendum: *ἐ. τ. ἠρημωμένας τ. π.*.

XIV.

Ibid. 151 verba *ὡς ἂν ἄνθρωποι μάλιστα τὰς φύσεις διαφθαρεῖεν* delenda sunt.

XV.

Ibid. 158 verba *τοὺς δ'* (sic Urb.) *ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς ἡμᾶς μεμνημένους* vitio laborant aperto quod non corrigitur scribendo, ut vulgo edi solet, *τῶν δὲ κ. τ. ἑ.*.

XVI.

Isocr. XV, 268 post *'Εμπεδοκλῆς δὲ τέτταρα* delenda sunt verba: *καὶ νεῖκος καὶ φιλίαν ἐν αὐτοῖς*.

XVII.

Eur. Medea, vs. 296:

χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας
φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.

Pro *ἔχουσιν ἀργίας* legendum: *ἔχουσ' ἀηδίας*.

XVIII.

Solon Elegia 10, (27) 15:

τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ
πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη·

Iniuria Buchholz (Anthologie aus den Lyrikern der Griechen. Ed. IV.) vocem *μαλακώτερα* mutavit in *μαλιώτερα*.

XIX.

Lucian. Alexander, 45: *ὁ δὲ 'Αλέξανδρος ἀγανακτήσας ἐπὶ τῷ ἐλέγχῳ μὴ φέρων τοῦ ὀνείδους τὴν ἀλήθειαν κ. τ. ἑ.*
Pro *μὴ* scribendum: *κοὐ*.

XX.

Quam vim animi vernacule vocamus *verbeelding*, ea in poeta maxime requiritur.
